

VSSERII

EPISTOLÆ

HIBERNICÆ.

V. S. S. H. R. II  
F. E. R. I. S. T. O. D. Y.  
L. I. B. R. A. R. Y.

VETERVM  
EPISTOLARVM  
HIBERNICARVM  
SYLLOGE;

Quæ partim ab Hibernis, partim ad Hibernos, partim  
de Hibernis vel rebus Hibernicis sunt  
conscriptæ.

IACOBVS VSSERIVS  
ARMACHANVS Archiepiscopus  
*Collegit & Recensuit.*

Epistolarum seriem proxima post præfationem pagina demonstrat.



PARISIIS,  
Ex Officinâ LVD. BILLAINE, in Palatio Regio.

---

M. DC. LXV.

V E T E R I M  
E P I S T O L A R I U M  
H I B E R N I C A R U M  
S Y L L O G E

Que partim ab Hibernis, partim ab Antiquis, partim  
de Hibernis vel rebus Hibernicis sunt

J A C O B U S V A N D E R  
A R M A C H A N U S

P A R I S I I S  
E. ORSINIUS  
M D C L X V

NOBILISS. AC DOCTISS. VIRO

D. D.

ANT. VION. D. D'EROVVAL

VENERANDÆ ANTIQVITATIS  
AMATORI, FAVTORI, ILLUSTRATORI:

QVI

RECONDITOS HISTORIÆ NOSTRÆ THESAVROS,

ET CÆTERA BONARVM LITTERARVM

MONIMENTA,

A TINEIS ET BLATTIS INDEFESSO LABORE

VINDICATA, ERVIT,

AC DOCTIS QVIBVSCVNQVE

INDIGITAT, COMMVNICAT.

HANC

VETERVM EPISTOLARVM HIBERNICARVM

COLLECTIONEM

OLIM A DOCTISSIMO VSSERIO EDITAM

ET

NVNC ITERATO PRELO IN GALLIIS PRIMVM

PRODEVNTEM

grati animi *Μνημόσωον*

O. D. C.

LVD. BILLAINE, Typogr. ac Bibliop. Parisiensis;






# IACOBVS

## ARMACHANVS

Lectori S.

 *V*antum ad fidem rerum conferat Epistolarum proprijs temporibus scriptarum diligens inspectio; cum ex aliorum Annalium, tum ex *Historia Augusta* scriptorum lectione, compertum habent eruditi. Hinc ego patriarum antiquitatum, Ecclesiasticarum praesertim, penitus cognoscendarum studio ductus; ut *Sedulij* nostri epistolas (quas intra *CXL.* proximos annos adhuc extitisse, ex *Io. Trithemio* intellexeram) alicunde nanciscerer, operam in primis dedi. Verum quum neque illius, neque unius alicujus e Veterum illorum numero, justum aliquod hujus argumenti volumen adipisci possem: ad *S. Gregorij* conuersus, quicquid sparsim inter chartulas meas ejus generis a veter. doctor. reperire poui, addito ex libris editis supplemento, in unum literarum fasciculum conieci. Vnde jam, pro unius alicujus aut alterius libris singularibus, multorum & diuersis sibi etatibus succedentium disiectae tabulae, uno veluti intuitu conspiciendas sese offerunt: ex quarum consideratione, quantum seu in pietate seu in doctrina seculum quodque vel profecerit vel defecerit, licebit animadvertere. Neque enim tam hic spectandum, quid quisque loqui semper debeat; quam quid quaque aetate homines dicere assueverint.

Id autem cum primis memorabile est, quod in *XXX.* Epistolâ prodit *Aldhelmus*, de exteris ad capeffendum ingenij cultum cateruatim in *Hiberniam* confluentibus: quae ab illo ut *Paradisus* quidam aut novus *Circulus lacteus* depingitur; discentium opulans vernansq; pascuosâ numerositate lectorum, quemadmodum poli cardines astriferis micantium ornantur vibraminibus siderum. Eò pertinet & *Beda* ille locus. *Histor. Ecclesiastic. lib. 3. cap. 27.* Erant in *Hiberniâ* multi nobilium simul & mediocrium de gente Anglorum, qui tempore *Finani* & *Colmani* Episcoporum, relictâ insulâ patriâ vel diuinæ

P R Æ F A T I O.

lectionis vel continentioris vitæ gratiâ illò secesserant. Et quidam quidem mox se monasticæ conversationi fideliter mancipaverunt : alij magis circumeundo per cellas magistrorum lectioni operam dare gaudebant. Quos omnes Scoti libentissimè suscipientes, victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum, & magisterium gratuitum præbere curabant. *Vt hys temporibus verissimum fuerit, quod de eadem Hiberniâ alibi pronuntiat idem:*

a Bed. lib. Hist. Eccl. cap. 26. quam eandem historiam, libro 1. de gestis Regum Angl. cap. 3. Guilielmus Malmesburienfis enarians, Hibernense genus hominum innocens geninâ simplicitate, nil unquam mali moliens, appellat.  
b Bed. lib. 3. cap. 7.  
c Id. ibid. cap. 27.  
d Id. in Carm. de Vita S. Cuthberti, cap. 11.

a gentem fuisse innoxiam, & nationi Anglorum semper amicissimâ. *Huc etiam spectat, quod de Agilberto Gallo, Occidentalium Saxonum primùm, deinde Parisiæ civitatis Episcopo, apud eundem Bedam legimus. b* Legendarum gratiâ scripturarum in Hiberniâ non parvo tempore demoratus est. *c* de Ædilvino : c Hiberniam gratiâ legendi adiit, & benè instructus patriam redijt, atque Episcopus in provinciâ Lindissi factus, multo Ecclesiam tempore nobilissimè rexit. *d* de Alfrido Nordanhumbrorum Rege.

d Scottorum qui tùm versatus incola terris,  
Cœlestem intento spirabat corde sophiam.  
Nam patriæ fines & dulcia liquerat arva ;  
Sedulus ut Domini mysteria disceret exul.

*In Hiberniam siquidem secedens ( ut libro 1. de gestis Regum Anglor. refert Guilielmus Malmesburienfis ) ibique magno otio literis imbutus, omni Philosophiâ composuerat animum.*

*Albinus quoque qui & Alcuinus ( cujus est ad Colcum lectorem in Scotiâ siue Hiberniâ, XVIIII. Epistola ) de VVillibrordo Vltrajectino Archiepiscopo, qui Bataros, Frisios & Antuerpienses ad fidem Christi convertit, ita scribit. Quia in Hiberniâ scholasticam eruditionem viguisse audivit, etiam quorundam sanctorum virorum, famâ narrante, conversatione incitatus, & præcipuè beatissimi patris & Episcopi Egberti, qui cognomento sanctus vocabatur, necnon & VVicberti venerabilis viri & sacerdotis Dei ( quorum uterque ob cœlestis patriæ amorem, domo, patriâ, cognationeque relicta, Hiberniam secessit, ibique dulcissimos supernæ contemplationis fructus seculo nudus, Deo plenus, solitariâ quotidie hauriebat conversatione : ) horum beatus adolescens æmulari cupiens religionem, cum commiventia sui Abbatis & fratrum, in Hiberniam veloci cursu contendit, prædictorum patrum se familiaritati jungens ; quatenus, ceu prudentissima apis, ex eorum propinquitate mellifluos pietatis carperet flores, & in sui pectoris alveario*

PRÆFATIO.

veario dulcissimos virtutum favos construeret. Ibiq; duodecim annos inter eximios simul piæ religionis & sacræ lectionis magistros, futurus multorum populorum prædicator, erudiebatur.

*Hæc in primo de vitâ VVilbrordi libro, Alcuinus: & in secundi initio.*

Venerat occiduis quidam de finibus orbis,  
Vir virtute potens, divino plenus amore,  
Ore sagax, & mente vigil, & fervidus actu;  
Ad te, temporibus Pippini, Francia felix:  
Quem tibi jam genuit fœcunda Britannia mater,  
Doctaque nutrit studijs sed Hibernia sacris;  
Nomine VVilbrordus.

*atque iterum in 33. capitulo:*

Vt dudum cecini, fœcunda Britannia mater,  
Patria Scottorum clara magistra fuit.

*Vbi doctam Hiberniam, & claram Scottorum patriam. Caroli Magni temporibus eandem fuisse habitam, non obscure indicat. Vt quod de suâ cecinit e Poëta optimus, de nostrâ Scotiâ multo rectius possit usurpari.*

*c Georg. Buchanan. in Silvis.*

Hæc quoq; cùm Latium quateret Mars barbarus orbem,  
Sola propè expulsis fuit hospita terra Camœnis.  
Hinc Sophiæ Graiæ, Sophiæ decreta Latinæ,  
Doctoresq; rudis formatoresque iuventæ  
Carolus ad Celtas traduxit.

*Nam ex Hiberniâ traductos fuisse Doctores istos, luculenter confirmat, qui vitam magni Caroli LXX. circiter post mortem ipsius annis scripsit, Noikerus Balbulus Sangallensis monachus, narrationis suæ hinc ducto principio.*

Omnipotens\* Regum dispositor, ordinatorque regnorum & temporum, cùm illius admirandæ statuæ pedes ferreos vel testes comminisset in Romanis; alterius non minùs admirabilis statuæ caput aureum per illustrem Carolum erexit in Francis. Daniel. 2.  
Qui cùm in occiduis mundi partibus solus regnare cœpisset, & studia literarum ubiq; propemodùm essent in oblivione; contigit duos Scotos de Hiberniâ cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ devenire, viros & in secularibus & in sacræ scripturis incomparabiliter eruditos. Qui cùm nihil ostenderent venale, ad convenientes emendi gratiâ turbas clamare solebant: Si quis sapientiæ cupidus est, veniat ad nos, & accipiat eam; nam venalis

PRÆFATIO.

est apud nos. Quam tamen venalem se habere professi sunt, quia populum non gratuita, sed venalia mercari viderunt: ut sic vel sapientia, sicut cæteris rebus coëmendis, eos incitarent; vel (sicut sequentia comprobant) per tale præconium in admirationem verterent & stuporem. Denique tam diu clamata sunt ista, donec ab admirantibus, vel insanos illos putantibus, ad aures Caroli Regis, semper amatoris & cupidissimi sapientia, perlata fuissent. Qui sub omni celeritate ad suam eos præsentiam evocatos interrogavit; si verè, ut ipse famam comperit, sapientiam secum haberent. Qui dixerunt: Et habemus eam, & in nomine Domini dignè quærentibus dare parati sumus. Qui cum inquisisset ab illis, quid pro ipsa peterent, responderunt: Loca tantum opportuna, & animas ingeniosas, & sine quibus peregrinatio transigi non potest, alimenta & quibus regamur. Quibus ille perceptis, ingenti gaudio repletus, primùm quidem apud se utrumq; parvo tempore tenuit. Postea verò, cum ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum nomine *CLEMENTEM* in Galliam residere præcepit: cui & pueros nobilissimos, mediocres, & infimos, satis multos commendavit; & eis, prout necessarium habuerant, victualia ministrari præcepit, habitaculis opportunis ad habitandum deputatis. Alterum verò nomine *ALBINUM* in Italiam direxit: cui & monasterium S. Augustini juxta Ticinensem urbem delegavit; ut illic ad eum qui voluissent, ad discendum congregati potuissent. Audito autem Albinus de natione Anglorum, quàm gratanter sapientes viros religiosissimus Regum Carolus susciperet, conscensam navi venit ad eum. & *que sequuntur.*

f. Vincent.  
Specul. hi-  
storial. lib.  
23. cap. 173.  
& Antonin.  
Chronic.  
tit. 14. cap.  
4. §. 12.

*Eadem ipsa ex Chronicis Metropolis Arelatensis produunt f. alijs: quos Ioannes Rossus VVarronicensis secutus, in libro de Regibus ita rem narrat. Florentibus his diebus in Hiberniam studijs liberalibus præcæteris regnis, contigit duos Scotos monachos de Hiberniam cum mercatoribus Britannicis ad littus Gallia devenire. & post. Cum Rex Carolus responsum duorum monachorum Hibernensium audisset; repletus gaudio, ambos secum retinuit. Tandem unum eorum nomine Clementem, in Galliam Parisia residere fecit. Hic verò Clemente Antisiodorensi Episcopo, atq; illo Bonifacii Moguntini antagonistâ (cujus in XV. Epistolâ sit mentio) & etate posterior & inferior officio; Clemens Scotus ille fuit, ad quem à Ratgario Fuldensi Abbate Modestus & Candidus, cum alijs, Grammatica studendi gratia,*

PRÆFATIO.

*in antiquo Abbatum Cœnobij illius Indice g missus fuisse legitur. Eiusdem Grammatica quædam Collectanea à Melch. Goldasto h citantur: neque alius videtur esse Clemens, Vitæ Caroli Magni exarator, in Catalogo authorum, quorum testimonia à V Volfgango Lazio in Commentarijs Reipublicæ Romanæ producuntur, nominatus. Socium autem illius Albinum, apud Italos in urbe Ticinensi sive Papiensi à rege Carolo collocatum, ab Albino Anglo in loco jam citato clarè separat Notkerus: neq; alium Ioannem illum Albinum esse existimaverim, cui Rhetorica præcepta inscripta vidisse se testatur i Georgius Buchananus, quæ Albino Flacco sive Alcuino vulgò tribuuntur.*

*Neq; præterminandum est Guil. Camdeni, viri eruditissimi & candidissimi, præclarum hic testimonium: k Anglo-Saxones nostri illâ ætate, in Hiberniam tanquàm ad bonarum literarum mercaturam undique confluxerunt: unde de viris sanctis sæpissimè in nostris scriptoribus legitur; Amandatus est ad disciplinam in Hiberniam. Similia quoque in Cambro-Britannicorum Sanctorum Vitis subinde occurrunt: quibus etiam, de Marco & Sulgeno Britannis, ista visum est adijcere. Sic enim in extremo libri 1. de miraculis S. Germani Capitulo, Ericus Antisiodorensis de Marco scribit. Quinatione Britto, educatus verò in Hiberniâ, post longa Pontificalis sanctitatis exercitia, ultroneam sibi peregrinationem indixit. Sic traductus in Franciam, pijsimique regis Caroli ( illius nempè qui Calvus est dictus ) munificentia illectus, apud beatorum Medardi & Sebastiani cœnobium anachoriticam exercet vitam; singularis nostro tempore unicæ philosophus sanctitatis. De Sulgeno qui sub annum 1070. Episcopus Menevensis fuit, ipsius filius Ioannes hunc in modum cecinit.*

Exemplo patrum, commotus amore legendi,  
Ivit ad Hibernos Sophiâ, mirabile, claros.  
Sed cum jam cimbâ voluisset adire revectus  
Famosam gentem scripturis atque magistris:  
Appulit ad Patriam, ventorum flatibus actus,  
Nominè quam noto perhibent Albania longè.  
Ac remoratus ibi certè tum quinque per annos  
Indefessus agit votum, &c.  
His ita digestis Scotorum visitat arva:  
Ac mox scripturas multo meditamine sacras,  
Legis divinæ scrutatur sæpè retractans.  
Ast ibi per denos\* tricens jam placidus annos

g Christoph.  
Broyver. in  
Notis ad  
Rabani  
Poemata  
pag. 118. &  
Antiquit.  
Fuldens.  
lib. 1. cap.  
14. pag. 60.  
h Goldast.  
in Notis ad  
Parænetic.  
vet. pag.  
24. & 96.  
i Bucha-  
naner,  
Scotic. lib.  
5. in Rege  
LXV.  
k Camden.  
in Hibern.  
p. 730.

\* trinos.

PRÆFATIO.

Congregat immensam pretioso pondere massam;  
 Protinus argutâ thesaurum mente recondens.  
 Post hæc ad Patriam rameans jam dogmate clarus  
 Venit, & inventum multis jam dividit aurum;  
 Proficiens cunctis discentibus undique circum.  
 Reges, quem populi, Cleri, cunctique coloni,  
 Omnes unanimes venerantur mente serenâ.

*In quo Carmine, tria ista notanda veniunt. I. Sulgenam legendi causâ, ex cæplo patrum Hiberniam adire voluisse: quod more majorum hoc ab illo factum fuisse ostendit II. Tametsi I Norrvagienses grassatores nono post Christum seculo, duce Turgesto, insulam hanc per annos XXX. occupantes, Ecclesias ferè omnes atque libros incendio consumpserint: revixisse tamen bonarum literarum studia, & seculo adhuc undecimo habitam fuisse Hiberniam (ut in vitâ Florentij loquitur Franciscus Guillimannus) virorum sanctissimorum doctissimorumque officinam. III. Ad illa ipsa usque tempora Hibernos nostros καὶ ἐξοχλῶν Scotorum nomen retinuisse. Narrat enim hic Iohannes, patri suo fuisse propositum, studendi gratiâ, Hiberniam petere: sed navigio, quo cœtus illò pervenire cogitaverat, adversis ventis actò, ad Albaniam appulisse; ibidemque quinquennij factâ morâ, Scotorum demùm arva invisisse, atque illic X. vel XIII. annos sacrarum Scripturarum lectioni impendisse.*

*Hæc ex innumeris paucula, ad Epistolâ XIII. illustrationem, proferre visum fuit. In cæteris si quid obscuri sit, quod ex temporis historiâ lumen aliquod desideret; ei facem, ex veterè memoriâ comparatam, præferre conati sumus. Id tantùm jam monendum: ex ijs que ab alijs antehac sunt editæ, plures epistolas hîc addi potuisse. & illam nominatim, que anno 742. à Papa Zacharia ad VVittam vel VVittanum scripta, inter m Romanorum Pontificum & n Bonifacij Moguntini epistolâ excusa prostat. Qui enim Saxonico nomine Witanus sive Whitus dictus est, à o Lupo Servato & alijs Latino vocabulo, Albuinus eodem sensu est appellatus: is ipse, qui egressus de Hiberniâ (ut notat p Thritemius) prædicationis causâ venit in Thuringiam; ubi à Bonifacio primus Barbarena sive Buraburgensis ecclesiæ Episcopus est constitutus. In oppido enim Buraburg iuxta Fritzlar, sedi Episcopali post suum recessum ordinavit Episcopum Albuinum discipulum suum Hiberniensem, monasterij urbis Monachum: cuius festum agitur V 11. Kalend. Nouembris, quemadmodum ex M S. suo retulit Nicol. Seravius, rerum Moguntiacarum lib. 3. notat. 29.*

† Girald.  
 Cambrenf.  
 Topo-  
 graph. Hi-  
 bern. di-  
 stinct. 3.  
 cap. 37. 42.  
 46. Iocce-  
 lin. in Vitâ  
 Patricij,  
 cap. 175. &  
 186.

m Epist.  
 Decret.  
 edit. Ro-  
 mæ, tom. 1.  
 epist. 2.  
 n Bonifac.  
 epist. 131.  
 o Lupo. in  
 Vitâ VVig-  
 berchii,  
 cap. 24.  
 p Io Tri-  
 them, de vi-  
 ris illustr.  
 Ord. Bene-  
 dicti, lib. 4.  
 cap. 190.  
 Vid. & lib.  
 3. cap. 167.

## PRÆFATIO.

*Ex ineditis verò plurima sunt epistola, quas omni licet adhibita diligentia, consequi nequivimus: inter quas & Regum nostrorum illa sunt, de quibus in Caroli Magni Vita Eginhardus. Scotorum reges sic habuit ad suam voluntatem per suam munificentiam inclinatos, ut eum nunquam aliter quam Dominum, seque subditos & servos ejus pronuntiarent. Extant Epistolæ ab ijs ad eum missæ, quibus huiusmodi affectus eorum erga illum indicatur. Sed has, & ejus generis alias, illis qui in transmarinis partibus degunt è tenebris eruendas relinquimus; earum quas domi reperire potuimus editione hoc tempore consenti.*





# SERIES EPISTOLARVM

Q V Æ

IN HAC SYLLOGE CONTINENTVR.

EPIST.	<b>G</b> regorij I. Romani Pontificis, ad Episcopos Hi-	
I.	berniae,	pag. 1.
II.	Ejusdem Gregorij, ad Quirinum Episcopum,	2
III.	S. Columbani Hiberni,	4
IV.	Ejusdem Colombani, Rhythmica,	6
V.	Ejusdem Columbani ad Hunaldum,	7
VI.	Ejusdem Columbani, ad Fedolium,	10
VII.	Laurentij Dorobernensis Archiepiscopi, ad Scotos, Hiberniae incolas,	11
VIII.	S. Livini Episcopi & Martyris, ad Florbertum Abba- tem Monasterij S. Bavonis,	12
IX.	Romani Cleri, ad Clerum Hibernicum,	15
X.	S. Galli Hiberni, ad Desideriũ Caducensem Episcopũ,	16
XI.	Cumiani Hiberni, ad Segienum Huensẽm Abbatẽ de Controversia Pascali,	17
XII.	Scoti cujusdam anonymi, ad Aldhelmum Malmesbu- riensem Abbatẽ,	24
XIII.	Aldhelmi Malmesburienfis Abbatis, ad Eahfridum ex Hiberniã in patriam reversum,	26
XIV.	Adamnani Huensis Monasterij Abbatis,	29
XV.	Bonifacij Moguntini Archiepiscopi, ad Zachariam Ro- manum Pontificem de causã Aldeberti Galli & Clementis Scoti,	31
XVI.	Zachariae Romani Pontificis, ad Bonifacium; de causã Virgilij, Hiberni & Sidonij,	33
XVII.	Ejusdem Zachariae, ad Bonifacium; de alijs quaestionibus	

SERIES EPISTOLARVM.

	<i>ab eodem Virgilio &amp; Sampsonē Scoto motis,</i>	34
XVIII.	<i>Albini Magistri, ad Colcum lectorem in Scotiā,</i>	36
XIX.	<i>Claudij Scoti Presbyteri. ad Iustum Abbatem,</i>	37
XX.	<i>Ejusdem Claudij, ad Ducterannum Abbatem,</i>	38
XXI.	<i>Gilde, ad Rabanum Monachum,</i>	39
XXII.	<i>Ioannis Scoti Erigene, ad Carolum Caluum,</i>	40
XXIII.	<i>Ejusdem Ioannis, ad eundem Carolum,</i>	41
XXIV.	<i>Anastasij Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarij, ad eundem Regem Carolum,</i>	45
XXV.	<i>Dubliniensium, ad Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum,</i>	48
XXVI.	<i>Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi, ad Gothricum Regem Dublinia,</i>	48
XXVII.	<i>Ejusdem Lanfranci, ad Terdeluacuum Hibernia Regem,</i>	50
XXVIII.	<i>Ejusdem Lanfranci ad Domnaldum Hibernia Episcopum,</i>	51
XXIX.	<i>Gregorij VII. Romani Pontificis, ad Hibernos,</i>	53
XXX.	<i>Gilleberti Lunicenses Episcopi, ad Episcopos Hibernia, de vsu Ecclesiastico,</i>	54
	<i>Gillebertus Lunicensis Episcopus, de Statu Ecclesiæ,</i>	55
XXXI.	<i>Ejusdem Gilleberti, ad Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum,</i>	61
XXXII.	<i>Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, ad eundem Gillebertum,</i>	61
XXXIII.	<i>Ejusdem Anselmi, ad Episcopos Hibernia,</i>	62
XXXIV.	<i>Waterfordiensium; ad Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum,</i>	64
XXXV.	<i>Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, ad Mariardachum Hibernia Regem,</i>	65
XXXVI.	<i>Ejusdem ad eundem,</i>	66

SERIES EPISTOLARVM.

- XXXVII. *Murchardachi Hiberniæ Regis, ad Anselmum  
Cantuariensem Archiepiscopum,* 68
- XXXVIII. *Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi ad Malchum  
Waterfodiensem Episcopum,* 68
- XXXIX. *Ejusdem, ad Samuëlem Dubliniensem Episcopum,* 69
- XL. *Dubliniensem, ad Radulphum Cantuariensem Ar-  
chiepiscopum,* 70
- XLI. *Henrici I. Anglorum Regis, ad eundem Radulphum,* 71
- XLII. *Bernardi Claravallensis Abbatis, ad Malachiam Hi-  
bernæ Episcopum,* 72
- XLIII. *Ejusdem, ad eundem,* 73
- XLIV. *Ejusdem, ad eundem,* 74
- XLV. *Ejusdem, ad Hibernienses fratres,* 76
- XLVI. *Adriani IV. Pontificis Romani, ad Henricum II.  
Anglorum Regem,* 78
- XLVII. *Alexandri III. Pontificis Romani, ad eundem,* 80
- XLVIII. *Ejusdem Alexandri, ad Laurentium Dublinensem  
Archiepiscopum,* 81
- XLIX. *Giraldi Barrii Cambrensis, ad Guilielmum Verum  
Herefordensem Episcopum, De Mirabilibus  
Hibernæ,* 83
- L. *Ejusdem Giraldi Cambrensis in librum tertium Vatici-  
num Prologus, qui adjectus est, vice, Appendicis,  
ad duos ejusdem libros Vaticinalis Historiæ, de  
Expugnatione Hiberniæ,* 85
- Professiones ab Ostomannorū in Hiberniâ Episcopis, ordinationis  
sua tempore, Cantuariensibus Archiepiscopis factæ,* 88
- Edgari Regis Anglorum Charta de Osvaldes-lavv,* 90

Vsserij recensiones quæ in fine Editionis Dubliniensis repo-  
sitæ erant, singulis in hac Editione Epistolis subjectæ sunt, pro  
Majori Lectorum commoditate.

VETERVM



I  
VETERVM  
EPISTOLARVM  
HIBERNICARVM  
SYLLOGE.

GREGORII I. Romani Pontificis, ad Episcopos Hiberniæ. Epist. I.

*Gregorius, Vniuersis Episcopis per Hiberniam.*



SCRIPTA vestra summâ cum gratulatione suscepi: sed Anno Christi 522.  
erit in me uberior valdè latitia, si mihi de vestrà contigerit reversione gaudere. Prima itaque Epistolæ vestræ fons gravem vos pati persecutionem innotuit. Quæ quidem persecutio dum non rationabiliter sustinetur, nequaquam proficit ad salutem. Nam nulli fas est retributionem præmiorum expectare pro culpâ. Debetis enim scire (sicut beatus Cyprianus dixit) quia *Martyrem non facit pœna, sed causa.* Dum igitur ita sit, incongruum nimis est de eâ vos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam vos constat ad æterna præmia minimè provehi. Reducat ergo charitatem vestram tandem integritas fidei ad matrem, quæ vos generavit, Ecclesiam. Nulla vos animorum intentio à concordia unitate dissociet: nulla persuasio rependo vos à recto itinere defatiget. Nam in Synodo, in quâ de *Tribus capitulis* actum est, apertò liquet, nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed (sicut scitis) de quibusdam illic solummodò personis est actitatum: quarum una, cujus scripta evidenter à rectitudine Catholicæ fidei deviabant, non injustè damnata est.

Quod autem scribitis, quia ex illo tempore inter alias provincias maximè flagellatur Italia: non hoc ad eius debetis intorquere opprobrium quoniam scriptum est: *Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Si igitur ita est, ut dicitis; ex eo tempore magis dilecta est apud Deum & modis omnibus approbata, ex quo Domini sui meruit sustinere flagella. Quia verò non ita sit, quemadmodum vos in eius insultatione affirmare conamini, rationem attendite. Postquam recordandæ memoriæ *Vigilius* Papa in urbe regiâ constitutus, Hebr. 12. 6.  
Vlserij Epist. Hibern.

A



UB

Universitätsbibliothek Johann Christian Senckenberg  
Frankfurt am Main

contra *Theodorum* tunc Augustam & *Acephalos* damnationis promulgavit sententiam; tunc Romana urbs ab hostibus adita & captivata est. Ergo bonam causam habuerunt *Acephali*, & iniuste damnati sunt, post quorum damnationem talia contigerunt? Absit. Hoc enim nec nostrum quempiam, nec alios qui Catholicæ fidei mysteriis instituti sunt, vel dicere, vel aliquo modo confiteri convenit. His denique cognitis, ab hac quandoque iam deliberatione recedite.

Vt igitur de *Tribus capitulis* animis vestris ablatâ dubietate, possit satisfactio abundanter infundi; librum quem ex hac re sanctæ memoriz decessor meus *Pelagius* Papa scripserat, vobis utile iudicavi transmittere. Quem si deposito voluntariæ defensionis studio, puro vigilantique corde sapius volueritis relegere; cum vos per omnia secuturos, & ad unitatem nostram reversuros nihilominus esse confido. Porro autem si, post huius libri lectionem, in eâ quâ estis volueritis deliberatione persistere; sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis. Vnde iterum habitâ locutione, charitatem vestram admoneo, ut quoniam (Deo suffragante) fidei nostræ integritas in causâ *Trium capitulorum* inviolata permansit; mentis tumore deposito, tanto citius ad matrem vestram, quæ filios suos expectat & invitat, Ecclesiam redeatis, quanto vos ab eâ quotidie expectari cognoscitis.

## R E C E N S I O.

Ex Gregorij Regesto; lib. 2. epist. 36. Indictione 10. qua anno ara nostra Christiana 592 respondet.

EPIST. II.

Ejusdem GREGORII, ad *Quirinum* Episcopum.

Anno Christi 601.

*Gregorius, Quirino Episcopo, & ceteris Episcopis in Hiberniâ Catholicis.*

Q Via charitati nil longè est; quos dividunt loca, jungat epistola. Lator itaque presentium ad Petri Apostolorum principis Ecclesiam veniens, fraternitatis vestræ se asservit ad nos epistolas accepisse, easque in Hierosolymorum urbe cum rebus quoque alijs perdidisse. In quibus, sicut ipse ait, studuistis inquirere, sacerdotes ac plebes quæ *Nestoriana* hæreseos errore confusæ sunt, cum ad matrem electorum omnium Catholicam Ecclesiam revertuntur, utrum baptizari debeant, an certè solius veræ fidei confessione ejusdem matris Ecclesiæ visceribus adjungi.

Et quidem ab antiquâ patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatismatis, aut impositione manus, aut solâ professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Vnde *Arianos* per impositionem manus *Occidens*, per unctionem verò sancti chrismatismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ *Oriens* reformat. *Monophysitas* verò & alios ex solâ vera confessione recipit; quia sanctum baptismum, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis accipit,

HIBERNICARVM SYLLOGE.

cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti per professionem veræ fidei sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. Hi verò hæretici qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt \* *Bonosiani & Cataphryges* ( quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti sanctum Spiritum perverso sensu esse quendam pravam hominem *Montanum* credunt, quorum similes multi sunt) & alij tales, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia baptismus non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt. Nec potest hoc ipsum baptismus dici iteratum; quod, sicut dictum est, in Trinitatis nomine non erat datum.

*Nestoriani* verò quia in sanctæ Trinitatis nomine baptizantur, sed eos Iudaicæ perfidiæ similes, incarnationem unigeniti non credentes, suæ hæreseos error obscurat, ad sanctam Ecclesiam catholicam venientes, de veræ fidei firmitate & confessione docendi sunt: ut unum eundemque Dei & hominis filium, Deum Dominum nostrum Iesum Christum credant, ipsum existentem in divinitate ante sæcula, & ipsum factum hominem in fine sæculorum: quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Verbum verò carnem dicimus factum, non immutando quod erat, sed suscipiendo quod non erat. Incarnationis enim suæ mysterio unigenitus patris nostra auxit, sua non minuit. Vna itaque persona est Verbum & caro, sicut ipse ait: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo.* Qui filius Dei in cælo, erat filius hominis qui loquebatur in terrâ.

Hinc Ioannes ait: *Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis sensum.* Qui nobis quem sensum dederit, illicò subiungit: *ut cognoscamus verum Deum.* Quem hoc loco verum Deum insinuat, nisi Patrem omnipotentem? Sed quid etiam de omnipotente filio sentiat, adjungit: *Et simus in vero filio eius Iesu Christo.* Ecce ait verum Deum Patrem, verum eius filium Iesum Christum. Quem verum filium quid esse sentiat, apertius ostendit: *Hic est, inquit, verus Deus, & vita æterna.* Si igitur, iuxta errorem *Nestorij*, alius Verbum, atque alius esset homo Iesus Christus; qui verus est homo, utique verus Deus non esset & vita æterna. Sed unigenitus filius Verbum ante sæcula factus est homo. Hic est ergo *verus Deus, & vita æterna.*

Certè cum sancta Virgo conceptura esset, & loquentem ad se Angelum audiret, ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi sicut dicis.* Quæ cum eum concepisset, & ad *Elizabeth* cognatam suam pergeret, ab eadem *Elizabeth* protinus audivit: *Vnde ego digna, ut mater Domini mei veniat ad me?* Ecce eadem Virgo & ancilla Domini dicitur, & mater. Ancilla enim Domini, quia Verbum ante sæcula unigenitus æqualis est patri: Mater verò, quia in eius visceribus ex sancto Spiritu, de eiusque carne factus est homo. Nec alterius ancilla, alterius mater: quia dum unigenitus Dei existens ante sæcula, ex eius utero natus est homo, invelligabili miraculo facta est ancilla hominis per divinitatem, & mater Dei per carnem.

Non autem prius in utero Virginis caro concepta est, & postmodum

VETERVM EPISTOLARVM

4

Pfalm. 45. 7.

divinitas venit in carnem : sed mox ut Verbum venit in utero, mox Verbum servatâ propriâ veritate naturæ factum est caro. Et perfectus homo, id est, in veritate carnis & animæ rationalis, natus est per uterum Virginis unigenitus filius Dei. Vnde & unctus præ participibus dicitur, sicut Psalmista ait : *Vnx ite Deus, Deus tuus, oleo lactis, præ consortibus tuis.* Unctus quippe est oleo, dono videlicet Spiritus sancti : sed præ consortibus unctus est, quia omnes nos prius peccatores homines existimus, & postmodum per unctionem sancti Spiritus sanctificamur. Ipse autem qui existens Deus ante sæcula, per sanctum Spiritum in utero Virginis homo conceptus est in fine sæculorum, ibi ab eodem Spiritu unctus est, ubi conceptus : Nec antè conceptus, & postmodum unctus est ; sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, à sancto Spiritu ungi fuit.

Hanc ergò nativitatis eius veritatem quicumque à perverso errore *Nestorij* revertuntur, coram sanctâ fraternitatis vestra congregatione fateantur ; eundem *Nestorium*, cum omnibus sequacibus suis, & reliquas hæreses anathematizantes. Venerandas quoque Synodos, quas universalis Ecclesia recipit, se recipere & venerari promittant : & absque ullâ dubitatione eos Sanctitas vestra, servatis eis proprijs ordinibus, in suo cætu recipiat : ut dum & per sollicitudinem occulta mentis eorum discutitis, atque eos per veram scientiam recta quæ tenere debeant doceris, & per mansuetudinem eis nullam contrarietatem vel difficultatem de proprijs suis ordinibus facitis ; eos ab antiqui hostis ore rapiatis. Et tanto vobis apud omnipotentem Deum aternæ gloriæ crescat retributio, quanto multos colligitis, qui vobiscum in Domino sine fine gloriantur. Sancta itaque Trinitas orantes pro nobis suâ vos protectione custodiat ; vobisque in amore suo dona multipliciora concedat.

RECENSIO.

*Ex Regest. lib. 9. Epist. 61. Indictione 4 ( qua in annum 601. incurrit : ) licet manuscriptus Vaticanus Iberiam hic legat, pro Hibernia.*

S. COLVMBANI Hiberni.

Epist. III.

Circa annum 610.

**O**Tu Vita quantos decepisti, quantos seduxisti, quantos excœcasti ! Quæ, dum fugis, nihil es ; dum videris, umbra es ; dum exaltaris, fumus es. quæ quotidie fugis, & quotidie venis ; quæ veniendo fugis & fugiendo venis : dissimilis eventu, similis ortu, dissimilis luxu, similis fluxu ; dulcis stultis, amara sapientibus. Qui te amant non te sciunt : & qui te contemnunt, ipsi te intelligunt. Ergò non es vera, sed fallax. te ostendis quasi veram, te reducis quasi fallacem. Quid ergò es humana Vita ? via es mortalium, & non vita, à peccato incipiens usque ad mortem. Vera enim esses, si te peccatum primæ transgressionis humanæ non interrupisset. & tunc casabunda & mortalis devenisti, cum omnes tuos viatores morti assignasti. Via ergò es ad vitam, non vita. vera enim es, via, sed non plana ; alijs longa, alijs

HIBERNICARVM SYLLOGE.

5  
brevis; alijs lata, alijs angusta; alijs lata, alijs tristis; omnibus similititer festinans, & irrevocabilis: via es, inquam, via es, sed non omnibus manifesta es. multi enim te vident, sed pauci te viam esse intelligunt. Sic enim subtilis es, & sic seductrix, ut paucorum sit te scire viam. Interroganda ergo es, & non credenda nec vendicanda; transeunda non habitanda, misera humana Vita. Nullus enim in viâ habitat, sed ambulat; ut qui ambulat in viâ, habitent in patriâ. Quare ergo tu mortalis Vita habitaris, diligeris, vendicaris? \* Allicita es à perditis, contemneris à sensatis, caveris à salvandis. Timenda itaque es humana Vita, & multum cavenda; quæ sic fugitiva es, sic periculosa, sic brevis, sic incerta, ut quasi umbra, aut imago, aut nubes, aut nihil, aut inane, dissolvatur. Dum ergo nihil es: ô mortalis Vita, nisi viæ imago, fugitiva ut avis, ut nubes incerta, & fragilis ut umbra, ut somnium: sic per te iter agendum est, tam sollicitè, tam cautè, tam expeditè, ut viatorum morre ad veram Patriam omnibus intelligentibus festinandum sit; de transacto securis, de eo quod restat sollicitis. Nihil enim tibi prodest ascendere, quod ascenderis, nisi, quod restat, evaseris. Via enim, & ascensus quidam, putanda est Vita hæc. Non quæramus in viâ, quod futurum est in patriâ. Labor enim & fatigatio in itinere versatur; in patriâ requies & securitas paratur. Cavendum est itaque nobis, ne fortè per viam securi simus, & ad veram nostram patriam non perveniamus. Sunt enim reverâ nonnulli in hoc itinere securi, a desides, lividi: ut non tam in viâ, quàm in patriâ esse videantur: & non tam voluntarij, quàm invitè eunt ad patriam, nimirum iam perditam. Hic enim in viâ præsumpti sunt patriâ, & de brevi vitâ æternam mortem mercati sunt: infelices de frustrato commercio lati sunt; aliena caduca dilexerunt, & propria æterna neglexerunt. Quapropter quamvis sint lata, quamvis blanda, quamvis sint speciosa, aliena terrenâ devitemus, ut propria æterna non perdamus. *Fideles in alienis inveniamur, ut in propriis ac nostris hæredes efficiamur: donante Domino nostro Iesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

\* al. Diligeris à stultis.

Luc. 16. 12.

a *Desides, lividi*, in Sangallensi codice omittuntur hæc duæ voces; non malè.

RECENSIO.

De eo Trithemius, in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis Ex Hiberniâ veniens in Galliam & Germaniam, velut olim Druidum princeps, cultus divini & cœnobita auxit & famulos. Cùm adhuc iunior esset, magnum studium litteris sanctis impendit: adeo ut eleganti stylo scripserit. In totum Psalterium Commentariorum lib. 1. & quasdam ad fratres Epistolas. Inter Epistolas verò hanc primùm edidit V. CL. Melchior Haminsfeldius Goldastus, ex vetustissimo codice Bibliotheca Monasterij S. Galli; in quo, hoc titulo prænotata legebat. **INCIPIT EPISTOLA S. COLUMBANI ABBATIS.** quanquam in eâ nullum apparere epistolici characteris vestigium, rectè à viro eruditissimo est observatum: sicut etiam, hinc sermonis sui 49. exordium mutatum esse Homiliarum ad fratres in eremo, quæ inter Augustini opera feruntur, consarcinatorum. Et sanè, inter Columbani instructiones, seu Homilias XIII. quæ in manuscripto Monasterij Bobiensis habentur, hæc ipsa ordine quinta reperitur; indeque descripta, Parisijs à Thomâ Messinghamo typis est mandata. Nos verò, ex mutuâ utriusque editionis collatione, hanc sive Epistolam, sive Homiliam aliquantò emendatiorem hic exhibuimus.

A iij

EPIST. IV.

Ejusdem COLUMBANI, Rhythmica.

\* id est, al-  
teri.

Ioan. 3. 19.

Esaï. 40. 6-  
1. Pet. 1. 24.  
Iacob. 1. 11.

**M**undus iste transit, & quotidie decrefcit :  
 Nemo vivens manebit, nullus vivus remanfit.  
 Totum humanum genus ortu utitur pari,  
 Et de fimili vitâ fine cadit aquali.  
 Deferentibus vitam mors incerta fubripit :  
 Omnes fuperbos vagos mœror mortis corripit.  
 Quod pro Chrifto largiri nolunt, omnes avari  
 Importunè omittunt : poft fe colligunt \* ali.  
 Parvum ipfi viventes Deo dare vix audent :  
 Morti cuncta relinquunt ; nihil de ipsis habent.  
 Quotidie decrefcit vita præfens, quam amant :  
 Indeficiens manet fibi pœna quam parant.  
 Lubricum, quod labitur, conantur colligere :  
 Et hoc, quod fe feducit, minùs timent credere.  
 Dilexerunt tenebras tetras magis quàm lucem :  
 Imitari contemnunt vitæ Dominum Ducem.  
 Velut in fomnis regaent, unâ horâ latantur :  
 Sed æterna tormenta adhuc illis parantur.  
 Cæci nequaquàm vident quid poft obitum reftat :  
 Peccatori impio quod impietas præftat.  
 Cogitare convenit te hæc cuncta, Amice :  
 Abfit tibi amare huius formulam vitæ.  
*Omnis caro ut fœnum, flagrans licet florida :*  
*Sicque, quafi flos fœni omnis eius gloria.*  
 Orto fole arefcit tœnum, & flos deperit :  
 Sic eft omnis iuventus, virtus cùm defecerit.  
 Vultûs Chrifti radius præ cunctis amabilis,  
 Magis diligendus eft, quàm flos carnis fragilis.  
 Caveto, Filiole, feminare fpecies,  
 Quas mox ingrediatur non parva pernicies.  
 Plerique perpeffi funt pœnarum incendia ;  
 Voluntatis lubricæ nolentes difpendia.  
 Poculum impiiffimæ noli tu bibere ;  
 Vnde multos plerumque vides latos ridere.  
 Nam quofcumque videris ridere inaniter ;  
 Scito in noviffimis quòd flebunt amariter.  
 Confpice, Chariffime, fic effe libidinem,  
 Ut morfum mortiferum ; quod vincit dulcedinem,  
 Noli pronus pergere per vias mortalium :  
 Quàm multis eveniffè confpicis naufragium :  
 Perge inter laqueos cum fufpenfis pedibus ;  
 Per quos captos cæteros incautos comperimus.

HIBERNICARVM SYLLOGE.

7

De terrenis eleva tui cordis oculos:  
 Ama amantissimos Angelorum populos.  
 Beata familia, quæ in altis habitat:  
 Vbi senex non gemat, neque infans vagiat:  
 Vbi non esuritur, ubi numquam fititur:  
 Vbi cibo superno plebs cœlestis pascitur.  
 Vbi nemo moritur, quia nemo nascitur:  
 Vbi aula regia [ ac ] cœlestis pascitur.  
 Vbi vita viridis veraque est futura:  
 Quam nec mors, nec mœtoris metus, est consumptura.  
 Latè leto transacto latum Regem videbunt;  
 Cum regnante regnabunt, cum gaudente gaudebunt.  
 Tunc dolor, tunc tædium, tunc labor delebitur:  
 Tunc Rex Regum, Rex mundus, à mundis videbitur.

RECENSIO,

*Ex duobus antiquis Bibliotheca Sangallensis Monasterij exemplaribus edidit Goldastus: quorum unum ἀὐτῶντος, alterum auctoris nomen prefererat. Verum & illum & me quoque fugevat, quod à doctissimo Episcopo Kilmorensi D. Guilielmo Bedello est animadversum; rhythmis orationem totam contineri. Vt inter ea quæ ad eandem digna Columbanum edidisse scribit a Ionas & b Sigebertis, etiam hac numeranda fuerit epistola. Versus enim sunt parisyllabi omnes, modulationi accommodati: in quibus, elisionum & quantitas ratione prorsus neglecta, quatuordecim syllabarum numerus studiosè est observatus. Vnde singulis per sixus descriptis, paucula quedam à nobis sunt leviter immutata, & tres quoque dempti versiculi, quibus nullus alius simili rhythmo desinens respondere deprehendebatur, nempe post distichon decimum-tertium.*

*Pulchritudo hominum senescens delabitur.*

*Post vigesimum-tertium. Vbi laudes Domini nulla vox retinet. vel potius ( ut & sensus & numeri syllabarum ratio postulat ) nulla vox non recinet.*

*& post vigesimum-quintum. In quâ malè resonans, nulla vox audita est.*

*Huius generis versus, inter Bonifacij Moguntini epistolas, complures occurrunt, octo syllabarum numero constantes: de quibus ( in epistola sexagesima-quinta ad Aldhelmum ) ita meminit Edilwaldus. Huic nostræ parvitaris Epistola trina cantati modulaminis carmina, binis generibus digesta subdidimus, &c. quorum tertium non pedum mensurâ elucubratum, sed octonis syllabis in uno quolibet versu compositis ( unâ eademque littera comparibus linearum tramitibus aptata ) cursim calamo perarante caraxatum tibi sagacissime cator, transmittens dicavi. simplicibus vero hisce rhythmis successerunt demum versus qui ( ab inventoris, ut putatur, nomine ) Leonini sunt dicti ex rhythmo pariter & metro constantes: utpotè, in quibus tum similiter cadentium, tum quantitatibus syllabarum ratio est habita. Cuius generis inter primos qui extant, Guilielmi Pictaviensis illi sunt, quos ad Epistolam 29. sumus producturi.*

*a Ionas Abbas in Vita S. Columbani, cap. 2. b Sigebert. de script. Eccles. cap. 60. c Pater, ut infra in ( ipsius Aldhelmi ) epistola XIII.*

Ejusdem COLVMBANI ad HVNALDVM.

EPIST. V.

Assibus innumeris decurrunt tempora vitæ,  
 Omnia prerereunt, menses volvuntur \* & anni;  
 Nabitur in senium momentis omnibus atas.

\* al. in annis.

## VETERVM EPISTOLARVM

Ut tibi perpetuam liceat comprehendere vitam,  
 Males illecebras vitæ nunc sperne caducæ.  
 Quidam luxuriâ virtus superatur honesta.  
 Abdet avaritiâ cæcâque cupidine pectus.  
 Nescit habere modum vanis mens dedita curis.  
 Nilius argentum est auro, virtutibus aurum.  
 Summa quies, nil velle super, quàm postulat usus.  
 Hos ergo versiculos mihi tibi sæpè legendos:  
 At mea dicta tuis admittas auribus, oro.  
 Ne te decipiat vana & peritura voluptas.  
 Aspice quàm brevis est procerum regumque potestas.  
 Tubrica mortalis citò transit gloria vitæ.  
 Da veniam dictis; fuimus fortasse loquaces.  
 Omne quod est nimium, semper vitare memento.  
*Columbanus Hibernus, Hunaldo discipulo.*  
 Suscipe, Hunalde, libens & perlege mente serenâ  
 Dicta Columbani, fidâ te voce monentis:  
 Quæ licet ornatu careant sermonis honesti,  
 Vota tamen, mentisque piæ testantur amorem.  
 Vive, Deo fidens, Christi præcepta sequendo,  
 Dum modò vita manet, dum tempora certa salutis.  
 Tempus & hora volat, momentis labitur ætas.  
 Despice, quæ pereunt, fugitivæ gaudia vitæ.  
 Non fragiles secteris opes, & inania lucra:  
 Nec te sollicitet circumflua copia rerum.  
 Sint tibi divitiæ, divinæ dogmata legis,  
 Sanctorumque patrum castæ moderamina vitæ;  
 Omnia quæ dociles scripserunt antè magistri,  
 Vel quæ doctiloqui cecinerunt carmina vates.  
 Has cape, divitias semper contemne caducas:  
 In mentemque tibi veniat tremebunda senectus;  
 Quam gelidæ tandem sequitur violentia mortis.  
 Vitima jam sapiens meditatatur tempora vitæ,  
 Torpentes senio vires, morbosque frequentes,  
 Incertumque diem lethi, certosque dolores.  
 Multa senem fragilis vexant incommoda carnis.  
 Nam macie turpi tabescunt languida membra:  
 Tunc genuum junctura riget, venasque per omnes  
 Illius in toto frigescit corpore sanguis;  
 Sic baculo nitens artus sustentat inertes.  
 Quid tristes memorem gemitus: quid tædia mentis?  
 Somnus abest oculis, illum sonus excitat omnis.  
 Quid tunc argenti, fulvi quid proderit auri  
 Improba congeries multos collecta per annos?  
 Munera quid procerum? ditis quid prandia mensæ?  
 Quid meminisse juvat transactæ gaudia vitæ,

Venerit

HIBERNICARVM SYLLOGE.

9

Venerit extremi tandem cum terminus avi?  
 Hæc, dum vita volat, vigili qui mente retractat,  
 Spernit avaritiam, vanisque refutat honores.  
 Quid modò terrenis mentes intendere curis  
 Mortales cupiunt? quid turpia lucra sequuntur?  
 Semper avarus eget nummo, testante Poëta,  
 Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.  
 Indiget inter opes, nec habet quod habere videtur.  
 Ille domi solus nummos abscondit in arcâ,  
 Divitias cumulans: dum sese nescit amare,  
 Plus amat hæredem, servat cui cuncta fidelis.  
 O nimium felix, parcus cui sufficit usus,  
 Corporis ut curam moderamine temperet a quo.  
 Non miserâ capitur cæcæque cupidine rerum,  
 Nec majora cupit, quàm quæ natura reposcit:  
 Non, lucri cupidus nummis marsupia replet,  
 Nec molles cumulat tinearum ad pabula vestes:  
 Pascere non piugui procurat fruge caballos,  
 Nec trepido tales volvit sub pectore curas,  
 Ne subitis pereat collecta pecunia flammis,  
 Aut fractâ nummos rapiat fur improbus arcâ,  
 Vivitur argento sine, iam sine vivitur auro;  
 Nudi nascuntur, nudos quoque terra receptat.  
 Divitibus nigri referantur limina Ditis,  
 Pauperibusque pijs cælestia regna patefcunt.  
 Temnere divitias monuit Salvator avaros:  
 Quisquis amat Christum, sequitur vestigia Christi.  
 Nam brevis & fragilis morituræ gloria carnis,  
 Quicquid habet, rapidi velox fuga temporis aufert.  
 Pulchrè veridici cecinit vox talia Vatis,  
 Tempora dinumerans avi vitæque caduca:  
 Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur.  
 Alternant elementa vices, & tempora mutant:  
 Accipiunt augmenta dies noctesque vicissim,  
 Tempora sunt florum, retinet sua tempore messis:  
 Sic iterum spisso vestitur gramine campus.  
 Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi:  
 Tempora sunt vitæ, sunt tristia tempora mortis.  
 Omnia dat, tollit, minuitque volatile tempus.  
 Ver, æstas, autumnus, hyems, redit annus in annum:  
 Omnia cum redeunt, homini sua non redit ætas.  
 Hæc sapiens omni semper reminiscitur horâ,  
 Atque domum luctus epulis præponit opimis.  
 Ultima nunc humili concludam verba precatu;  
 Sis memor ipse mei, versus cum legeris istos.  
 Tempora sic habeas optatæ longa senectæ.  
 Vsserij Epist. Hibern.

Ecclesiast.

3. 4.

B



UB

Universitätsbibliothek Johann Christian Senckenberg  
 Frankfurt am Main

## RECENSIO.

*Acrostichis utriusque nomen complectens à Goldasto primùm est edita, sed à subsequente Epistolâ dirivulsa, quam ille ad Sethum quendam scriptam fuisse putavit; fretus auctoritate Manuscripti Sangallensis, in quo primus versus ita legebatur.*

*Suscipe, Sethe, libens & perlege mente serena.*

*Nos verò inscriptionem alteram, quam in primâ hujus Epistola editione ex suis edicibus expressit Georgius Fabricius, vel eo nomine retinendam censuimus; quòd non tam ad ipsam acrostichidem, quàm ad sequens Carmen, illu loquacitatis excusatio referenda videatur;*

*Da veniam dictis, fuimus fortasse loquaces.*

EPIST. VI.

Ejusdem COLUMBANI, ad Fedolium.

<b>A</b> ccipe, quæso,	E quibus ista	Fluxit in imbre:
Nunc bipedali	Nunc tibi pauca	Sed quod adulter
Condita versu	Tempore prisco	Obtulit aurum,
Carminulorum	Gesta retexam.	Aureus ille
Munera parva:	Extitit ingens	Fingitur imber.
Tuque frequenter	Causa malorum	Amphiaraum
Mutua nobis	Aurea pellis.	Prodidit auro
Obsequiorum	Corruit auri	Perfida conjunx.
Debita redde.	Munere parvo	Hectoris heros
Nam velut astu,	Cæna Dearum;	Vendidit auro
Flantibus Austris,	Ac tribus illis	Corpus Achilles,
Arida gaudent	Maxima lis est	Et referari
Imbribus arva;	Orta Deabus.	Munere certo
Sic tua nostras	Hinc populavit	Nigra feruntur
Missa frequenter	Trojugarum	Limina Ditis.
Lætificabit	Ditia regna	Nunc ego possem
Pagina mentes.	Dorica pubes.	Plura referre,
Non ego posco	Iuraque legum	Ni brevitatis
Nunc periturae	Fasque fidesque	Causa veteret.
Munera gaza:	Rumpitur auro.	Hæc tibi, Frater
Non, quod avarus	Impia quippe	Inclite, parva
Semper egendo	Pigmalionis	Litterularum
Congregat, aurum:	Regis ob aurum	Munera mittens,
Quod sapientum	Gesta leguntur.	Suggero vanas
Lumina cæcat,	Sic Polydorum	Linquere curas.
Et velut ignis	Hospes avarus	Desine, quæso,
Flamma perurit	Incitus auro	Nunc animosos
Improba corda.	Fraude necavit.	Pascere pingui
Sapè nefanda	Fœmina sapè	Fatre caballos:
Crimina multis	Perdit ob aurum	Lucraque lucris
Suggerit auri	Casta pudorem.	Accumulando,
Dira cupido.	Non * Iovis auri	Desine nummis

\* Casus  
recti.  
ἀρχαῖος.

Addere nummos.	Sed tamen illa	Vltima versus
Vt quid iniquis	Trojugarum	Iure licebit.
Confociaris,	Inclita Vates	Tu modò, Frater
Munera quorum	Nomine Sappho,	Alme Fedoli,
Crebra receptas?	Versibus istis	Nectare nobis
Odit iniqui	Dulce solebat	Dulcior omni,
Munera Christus.	Edere carmen.	Floridiora
Hæc sapienti	Si tibi cura	Doctiloquorum
Despicienda,	Fortè volenti	Carmina linquens,
Qui fugitivæ	Carmina tali	Privola nostra
Atque caducæ	Condere versu,	Suscipe lætus.
Cernere debet	Semper ut unus	Sic tibi Christus,
Tempora vitæ.	Ordine certo	Arbitr orbis,
Sufficit autem	Dactylus istic	Omnipotentis
Ista loquaci	Incipiat pes:	Vnica proles,
Nunc cecinisse	Inde sequenti	Dulcia vitæ
Carmina versu.	Parte trochæus	Gaudia reddat:
Nam nova forsan	Proximus illi	Qui sine fine,
Esse videtur	Ritè locetur.	* Nomine Patris
Ista legenti	Sapè duabus	Cuncta gubernans
Formula versus.	Claudere longis	Regnat in ævum.

Hæc tibi dictâram morbis oppressus acerbis,  
 Corpore quos fragili patior, tristique senectâ.  
 Nam dum præcipiti labuntur tempora cursu,  
 Nunc ad Olympiadis \* ter senos venimus annos.  
 Omnia prætereunt, fugit irreparabile tempus.  
 Vive, vale lætus, tristisque memento senectæ.

\* al. Nu-  
mine.

\* al. ter  
sene.

## R E C E N S I O.

Ex manuscriptis Bibliothecæ Monasterij S. Galli, anno 1604. à M Goldasto & Henr. Canisio edita. Versibus autem bipedalibus Adonicis est conscripta: elisionis syllabarum occasione omni diligenter evitata, ut Carmen esset constanter αὐτοσύντακτον eoque ad cantum magis apud conveniret. Annexi sunt & Hexametri sex: in quorum antepenultimo statem suam author ita indicat

Nunc ad Olympiadis ter senæ venimus annos.

Vel pluraliter potius, Olympiadum ter senum. Ut ista scripserit Columbanus, annum agens vel LXXII. si quatuor, vel XC. si quinque annorum spatium (Latinorum quærendam more) Olympiadicam periodum æsternamus.

LAURENTII Dorobernensis Archiepiscopi, ad Scotos,  
 Hiberniæ incolas.

EPIST. VII.

Dominis, charissimis fratribus, Episcopis vel Abbatibus per universam  
 Scotiam; Laurentius, Mellius & Iustus Episcopi, servi  
 servorum Dei.

Circa an-  
 num 614.

**D**Vm nos sedes Apostolica more suo, sicut in universo orbe terrarum, in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus Paganis

B ij

dirigeret; atque in hanc insulam, quæ Britannia nuncupatur, contigit introisse; antequàm cognosceremus, credentes quòd iuxta morem universalis Ecclesiæ ingrederentur, in magnâ reverentiâ sanctitatis tam Britones quàm Scotos venerati sumus. Sed cognoscentes Britones, Scotos meliores putavimus. Scotos verò per *Daganum* Episcopum in hanc quam superius memoravimus insulam, & \* *Columbanum* Abbatem in Galliis venientem, nihil discrepare à Britonibus in eorum conversatione didicimus. Nam *Daganus* Episcopus ad nos veniens, non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio quo vesceremur fumere voluit.

\* cuius iam proximè præcesserunt Epistolæ.

*Cætera, quæ de legitimo observandi Paschatis tempore sequebantur, desiderantur.*

### RECENSIO.

*Desumptum est hoc Epistola huius principium ex Bedæ Historia Ecclesiastica libro 1. cap. 4. ubi & reliq. a partis, quæ desideratur, argumentum ita enarratum invenitur. Laurentius non solum novæ, quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat, sed & veterum Britannia incolarum, nec non & Scotorum, qui Hiberniam insulam Britannia proximam incolunt, populis pastorem impendere sollicitudinem curabat. Siquidem ubi Scotorum in præfatâ ipsorum patriâ, quomodo & Britonum in ipsâ Britannia, vitam ac professionem minus Ecclesiasticam in multis esse cognovit; maxime quòd Paschæ solemnitate non suo tempore celebrarent, sed à decima quartâ Lunâ usque ad vicesimam Dominicæ Resurrectionis, diem observandum esse putarent: scripsit cum Coepiscopis suis exhortatoriam ad eos Epistolam; obsecrans eos & contestans, unitatem pacis & Catholicæ observationis cum eâ quæ toto orbe diffusa est Ecclesiâ Christi tenere. De eodem etiam Laurentio, in Vita eius à Gotcelino Berriniano descriptâ, hæc pertextitur narratio. Fama eius transvolante maria, quia lux in candelabro & civitas in monte nequit abscondi; sanctus Terenanus archipontifex Hibernia ad eum transit, vir tantæ sanctitatis, ut tres inmortuos suscitasse perhibeatur. Qui audiens beatum Laurentium de Paschæ observatione aliisque Apostolicis institutionibus mutuo conventu disputantem, dedit manus veritati; suosque discipulos (indignantem quòd tam divinus vir tali advenæ subjaceret) ad veritatis lineam, suo exemplo, cum sua gente correxit. vel potius (ut Ioannes Tinmuthensis, & eius exscriptor Ioannes Capgravius, rem narrat) suam gentem in posterum corrigere satagebat.*

EPISTOLA  
VIII.  
Anno Christi  
633.

S. LIVINI Episcopi & Martyris, ad *Florbertum* Abbatem  
Monasterij *S. Bavenis*.

**A** Vdeo miraloqui; Solem sine lumine vidi,  
Est sine luce dies, sic sine pace quies.  
Hos postquam populos conspexi luce serenâ;  
Sol mihi non luxit, nox fuit una mihi.  
Impia Barbarico gens exagitata tumultu  
Hic *Brabantia* furit meque cruenta petit.  
Quid tibi peccavi, qui pacis nuntia porto?  
Pax est quod porto; cur mihi bella moves?  
Sed quâ tu spiras feritas fors lata triumphi,  
Atque dabit palmam gloria martyrij.

Cui credam novi, nec spe frustrabor inani:  
 Qui spondet Deus est, quis dubitare potest?  
 Attamen est aliquid mœsta solatia menti  
 Quod dat, nec penitus me premit atra dies.  
 Ganda parat gremium, quo me fovet ubere lato;  
 Invitat, mulcet, nutrit, amat, refovet.  
 Hic est *Florbertus*, quem virtus flore perornat,  
 Cui probitas floret, flos probitate viget.  
 Forma gregis, decus Ecclesiæ, concordia fratrum;  
 Ipse suis medicus, & medicina sibi.  
 Quid referam pietatis opus? quod me peregrinum  
 Obsequiis lætis dum fovet, addit onus.  
 Sufficeret fratrum fratrem dixisse *Livinum*;  
 Pontificis nomen pergravat & Domini.  
 Egressus patriam, pompæ mortalis honorem  
 Sprevi, devovi, spes Deus una mihi.  
 Attamen inveniet quod Christo sedulus offert,  
 Quod sic sum pauper hoc sibi nil minuet.  
 Plus aliquid præstat absenti munere largo;  
 Præsens continuus me fovet obsequiis.  
 Hæc quoque dum scribo, properans agitator aselli  
 Munere nos solito, pondere lassus, adit.  
 Ruris delicias affert, cum lacte butyrum,  
 Ovaque, caseoli plena canistra premunt.  
 Hospita quid restas? effer iam sedula gressum;  
 Collige divitias, quæ modò pauper eras.  
 Fervet, olus siccum, sed nunc condire licebit:  
 Ollula dura prius, uncta suavis erit.  
 \* *HOLTAN* villa gravis, quæ nescis reddere fructum;  
 Vrticas, lappas, cur bene culta refers?  
 Hoc est quo recreor, quod habet paupercula tantum  
 Hospita quod mittit, vel mihi *Ganda* boni.  
 Et pius ille pater cum donis mollia verba  
 Mittit, & ad studium sollicitat precibus.  
 Ac titulo magnum iubet insignire *Bavonem*;  
 Atque leves elegos esse decus tumulo.  
 Nec reputat, fisso cum stridet fistula ligno,  
 Quod soleat raucum reddere quassa sonum.  
 Exigui rivi pauper quam vena ministrat  
 Lasso vix tenues unda ministrat † opem.  
 Sic ego, qui quondam studio florente videbar  
 Esse poëta, modò curro pedester equo.  
 Et qui *Castalio* dicebar fonte madentem

† forte;  
opes.

\* Bonifacio in Vita Livini, fundus qui veteri vocabulo *HOLTHEM* dicitur hodie *HAVTHEM* pagus territorij Alostensis, tercio milliari à portu Ganda, sive Ganda-vo positus.

## VETERVM EPISTOLARVM

Dictæo versu posse movere Lyram :

Carmine nunc lacero dictant mihi verba Camæna ;  
Mensque dolens , lætis apta nec est modulis .

Non sum qui fueram festivo carmine lætus :

Qualiter esse queam , tela cruenta videns ?

Nec quid agam novi : mentis timor iste procacis

Quem rogo non ladat , par dare nolle pari ?

Officio certare pari si nempè recuso ;

Pecco quod magnis reddere parva moror .

Magna mihi præstat supplex qui parvula poscit ;

Et tamen invenior tardus ad officium .

Accingar studio , quamvis non viribus æquis :

Est non posse leve , non renuisse bonum .

Ergo tibi titulum scribens , sanctissime Bavo ,

Qui volo quod nequeo , quod valeo facio .

*Epitaphium Sancti Bavonis .*

**Q**ui patriæ rector , spes gentis , gloria regni ;

Magnorum primus qui modo magnus eras .

Non quia magnus eras , te gloria magna beatum ,

Sed contempta decus gloria magna facit .

Pro Christo pauper , despectus , vilis , egenisque ,

Et Christi famulis nunc caput atque decus .

Defunctum revocans , qui morti iura tulisti ,

Monstras quippe tibi iura patere poli .

Quam tu fundasti , quæ te tenet , inclyte Bavo ,

Ecclesiam meritis protege sancte tuis .

Hæc , Florberte pater , Livinus carmina mittens ,

Inscriptum lateri munus habere dedi :

Vt cum vastatus fiet locus ille ruinâ ,

Carmina conservet obrutus ista lapis .

## RE C E N S I O .

*De eo Christianus Massæus Cameracensis , Chronicorum libro 13. ad annum Christi 633. S. Livinus natione Scotus , Archiepiscopus Hiberniæ , Gandavum venit cum tribus discipulis , 16. Julij , Indiæ . 6. Mansit illic mense uno . Deinde profectus ad Escam , prædicavit Christum , multos convertit . Quidam verò indurati occiderunt eum , 12. Novembris eiusdem anni . Ioannes Balæus ( neutiquam verò , uti Dempsterus putavit , ipse Massæus ) Hiberniam , sylvestrem Scotiam ( sive Montanam Albaniam ) perperam interpretatur . De hoc vero Livini sermo pro subicit . Epitaphium Allovini Bavonis Austrasiorum ducum hæredis , qui illum Grandavi per annum unum ( vel iuxta Molanus , in Natalibus Sanctorum Belgij , ad diem 1. Octobr. Florberto abbati in sancti Bavonis memoriam elegiacum carmen transmisit . Hos autem S. Livini Elegos , ex manuscripto Corssendonæano ab Heriberto Rosveydo descriptos , communicavit mihi D. Rothæus , patriarum antiquitatum indagator diligentissimus . quorum duo disticha postremæ ad Epistolæ epilogum referenda sunt , non ad interjectum Epitaphium S. Bavonis .*

## ROMANI Cleri, ad Clerum Hebernicum.

EPIST.  
IX.

Doctissimis & sanctissimis, Tomiano, Columbano, Cromano, Dimao, & Baithano Episcopis; Cromano, Ernianoque, Laistrano, Scellano, & Segeno presbyteris; Sarano, ceterisque Doctoribus seu Abbatibus Scotis: Hilarus Archiepiscopus & servans locum sanctæ Sedis Apostolica, Ioannes Diaconus & in Dei nomine a electus, item Ioannes primicerius & servans locum sanctæ Sedis Apostolica, & Ioannes servus Dei Consiliarius eiusdem Apostolica Sedis.

Anno Christi  
639.

(*b* **A**D) scripta, quæ perlatores ad sanctæ memoriæ Severinum Papam adduxerunt, (hæc de luce eo migrante) reciproca responsa, & ad ea quæ postulata fuerant, siluerunt. Quibus referatis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussâ remaneret, reperimus quosdam provinciæ vestræ, contra orthodoxam fidem, novam ex veteri hæresim renovare conantes; Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosâ caligine refutantes, & quartadecimâ lunâ cum Hebræis celebrare nitentes.

\* \* \* \* \*

Et hoc quoque cognovimus, quòd virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuò reviviscit; quod omninò hortamur, ut à vestris mentibus huiusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet: quia non solum per istos ducentos annos abolita est, sed & quotidie à nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur; & hortamur, ne quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur. Nam quis non execretur superbum eorum conamen & impium; dicentium, posse sine peccato hominem existere ex propriâ voluntate, & non ex gratiâ Dei? Et primùm quidem blasphemiam stultiloquium est dicere, esse hominem sine peccato; quod omninò non potest, nisi unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui sine peccato est conceptus & partus. Nam cæteri homines cum peccato originali nascentes, testimonium prævaricationis Adæ (etiam sine actuali peccato existentes) portare noscuntur, secundum Prophetam dicentem: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea.* 1. Tim. 2. 5. Psal. 51. 7.

*a* Severini in Romano Episcopatu, tum vacante, successor designatus.

*b* Præpositio hæc, sensus explendi causâ, ex conjecturâ est adjecta.

*c* Interciderunt sequentia, quibus docebatur, Dominicum Paschæ diem à quintadecima luna usque ad vigesimam primam (iuxta Nicenæ Synodi statuta) inquirendum esse.

## RECENSIO.

Anno Christi DCXXXIX. sede Romana per mortem Severini Pontificis vacante, scripta sunt ista littera. De quibus, & consimilibus alijs ante quinquennium ad eodem Hibernos ab Honorio Papâ missis, ita scribit Beda lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 17. Misit Papa Honorius litteras genti Scotorum, quos in observatione sancti Paschæ



errasse compererat. solerter exhortans, ne paucitatem suam in extremis terra finibus constitutam, sapientiosem antiquis sive modernis, quæ per orbem erant, Christi Ecclesiis æstimarent; neve contra Paschales computos & decreta synodalia totius orbis Pontificum aliud Pascha celebrarent. Sed & Ioannes, qui successori eiusdem Honorij Severino successit, cum adhuc esset electus in Pontificatum, pro eodem errore corrigendo litteras eis magnâ autoritate atque eruditione plenas direxit: evidenter astruens, quia Dominicum Paschæ diem à quintadecimâ lunâ usque ad vicesimam primam lunam (quod in Nicenâ synodo probatum est) oportet inquiri. Nec non & pro Pelagianâ hæresi (quam apud eos reviviscere didicerat) cavendâ ac repellendâ, in eadem illos epistolâ admonere curavit. Deinde Epistolam hanc adjungit: sed quæ de ratione Paschalis observantia in ea sunt exposita prætermittit. Quod & in superioribus Laurentij Cantuariensis ad Hibernos literis, & in alijs Vitaliani Romani Pontificis ad Osvivium Nordanhumbrorum regem (quas penultimo 3. libri capiti inseruit) ab eo factum videmus, qui posteriorum illarum defectus ex antiquissimis fortasse VVhitbensiis cænobijs schedis aliquo modo suppleri poterit; in quibus, præfixo titulo Vitaliani (Vitaliani hæretici) Papæ Urbis Romæ, subjectum reperi. Nunquam enim celebrare [debemus] sanctum Pascha, nisi secundum Apostolicam & Catholicam fidem, ut in toto orbe celebratur à Christianâ plebe; id est, secundum Apostolicam regulam CCCXVIII. sanctorum Patrum, ac Computum sancti Cyrilli & Dionysij. Nam in toto terrarum orbe sic Christi una columba, hoc est, Ecclesia immaculata, sanctum Paschæ resurrectionis diem celebrat. Nam Victoris sedes Apostolica non approbat, vit regulam Paschæ: idè nec sequitur dispositionem eius pro Pascha.

EPIST. X.

Anno Christi 640.

S. GALLI Hiberni, ad Desiderium Caducensem Episcopum.

*Domino semper suo, & Apostolico Patri, Desiderio Papa, Gallus peccator.*

**D**VM talis nuntius de clade à *Masilianâ* venit, quod omnem penè provinciam depopulans vastet; Dominus ordinet custodias mittere, ut nullus de *Cadureno* ad istas ferias in *Rutenico*, vel vicinas urbes præsumat exire. ne, quod absit, per quamlibet occasionem tantum malum in urbem vestram videatur inferre. Nam per ista contigua illis partibus loca custodia positæ sunt; ut nullus emendi aut vendendi aditum penitus habeat. si non sollicitè cogitabitis prævidere; periculum mortis instat. Præterea debitâ veneratione salutem mittens, quæso ut in sanctis precibus vestris parvitatem nostram memorare dignemini, Domine, veriùs Pater.

RECENSIO.

Scotia quondam bruta, nunc in Christo prudentissima, nobis lumen nostrum primitivum destinavit Kilianum, Burgundis Columbanum, Alamannis Gallum; inquit *Egilwvardus*, Prologo in *Vitam S. Burchardi*. & *Georg. VVielius*, in *Vita Kiliani*: Ex Hiberniâ, hoc est Scotus natus; sicut Columbanus quoque & Gallus. A Gallo nostro, Urbis & Monasterium Sancti Galli in Helvetiâ nomen accepit. Eius *Vita* à *VValafrido Strabo Abbate Augiensis* est descripta, & à *Melch. Goldasto* annotationibus illustrata; in quibus, ex veteri quodam codice, ista ad materiam Galli geminus pertinentiâ producantur. Fertur, prout à quodam Hibernico ore accepi, quod mater S. Galli Regina fuerit ex Ungariâ, & genuit cum viro XXI. filios & III. filias. Requiescit eius sacrum corpus in oppido *Formalin*, in Monasterio S. Benedicti, sito in quodam monte, habente ad latera montis torrentes duos; unus vocatur *Dun*, alius *Lis* appellatur. Super eodem monte situm est oppidum præfatum in Hiberniâ. Hæc vero *Gallis Epistola*, inter alias ad Desiderium datas, ab *Henr. Caniso* tomo 5. Antiqua

qua Lectionis, & Marquardo Frehero in Corpore Franciscæ historia scriptorum; est edita.

CYMMIANI Hiberni, ad Segienum Huensem abbatem  
de Controversiâ Paschali.

EPIST.  
XI.

IN NOMINE DIVINO DEI SVMMI CONFIDO.

Anno Chris-  
ti 650.

*Dominis sanctis & in Christo venerandis, Segieno abbati Columbae sancti & caterorum Sanctorum successorum, Beocanoque solitario (charo carne & spiritu fratri) cum suis sapientibus; Cummianus supplex peccator, magnis minimus, apologeticam in Christo salutem.*

**V**ERBA excusationis meæ in faciem sanctitatis vestræ proferre pro-  
caciter non audeo: sed excusatum me habere vos, ut patres, cū-  
pio; testem Deum inuocans in animam meam, quod non contemptus  
vestri gratiâ, nec fastu moralis sapientiæ, cum caterorum despectu, so-  
lemnitatem festi Paschalis cum cæteris sapientibus \* suscepi. Ego enim  
primo anno, quo cyclus quingentorum triginta duorum annorum à  
nostris celebrari orsus est, non suscepi, sed filui: nec laudare, nec vitu-  
perare ausus. utpote Hebræos, Græcos, Latinos, (quas linguas, ut  
*Hieronymus*, ait, in Crucis suæ titulo Christus consecravit) superare mi-  
nimè in scientiâ me credens: deinde Apostolum interrogans dicen-  
tem, *Omnia probate, quod bonum est tenete*; antequàm gustarem, non  
fastidivi. Hinc per annum secretus sanctuarium Dei ingressus, hoc est,  
scripturam sacram, ut valui, \* involvi; deinde historias, postremò Cy-  
clos, quos inuenire potui. Et inveni primùm in Exodo de primo men-  
se esse inquirendum secundùm Hebræos. Scriptum est enim: *Mensis*  
*ista vobis initium mensium, primus erit in mensibus anni.* Et in sequenti-  
bus: *Decimâ die mensis huius accipiet unusquisque agnum per familias &*  
*domos suas, & servabitis eum usque ad decimam quartam diem mensis huius,*  
id est, primi mensis: *immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël,*  
*ad vesperam.* Et inveni hoc Apostolum de immolatione Christi, non de  
resurrectione commemorasse dicentem; *Etenim Pascha nostrum immo-*  
*latus est Christus.* Item in Exodo: *Et custodietis diem istum in generationes*  
*vestras ritu sempiterno, primo mense, quartadecimâ die mensis.* In Levi-  
tico quoque: *Si quis & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fa-*  
*cit Phase; exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domi-*  
*no non obtulit in tempore suo, hoc est, in primo mense.* Hoc timui, & in-  
quisivi diligenter quid Hebræi, quid Græci, quid Latini, quid Egyptij  
de hoc tempore servarent & sentirent: quod in sequentibus demonstra-  
bo. Item in Exodo: *VII. diebus comedetis azyma usque ad diem XXI. &*  
in tractatibus diligenter investigavi, quid sentirent de XXI. cruditissi-  
mi viri, quod *Hieronymus* pulcherrimè explanat, dicendo: *Pascha im-*  
*molat populus, & alias celebrat festivitates. omnis eius solemnitas die finitur*  
*octavo: prima dies in azymis XIV dies octava XXI.* Item in libro quæstio-  
Vlserij Epist. Hibern.

\* Addend.  
forte, non  
ut mox in-  
fra.

1. Theff. 5.  
21.

\* forte euo-  
lui.

Exod. 12. 2.

Exod. 12.

3. 6.

1. Cor. 5. 7.

Exod. 12. 17

Num. 9. 13.

Exod. 12. 15.

- num : *A XIV. Lunâ , qua nobis secundum legem prima est , rationem Pascha observemus. Omnia enim plena Deus instituit : ideò à XIV. Lunâ usque in XXI. his VII. diebus Pascha nobis celebrare concessum est ; ut de his VII. aliqui dies à parasceve usque ad resurrectionem concludantur : ut neque XIII. in passione sit , neque XIV. aut XII. in resurrectione : ne ante primam secundum nos Lunam passio Christi sit , neque resurrectio eius in primo die quo coepit est mundus. Hæc , 86. quæstione. Item , 91. Apostolus , inquit , falli non potuit , qui ait ; Pascha nostrum immolatus est Christus : quod non summi neque sed legis est verbum , dicente Moysè , & erit cum dicent vobis filij vestri. Quæ est de servitio hæc ? & dicetis , Immolatio est , hoc Pascha Domini est. Quid amplius , inquit , necessarium ad testimonium ? Lex loquitur. Apostolus probat , hoc superest ut contradictor abiciatur ut pervicax. Manifestum est enim transitum post pascha fuisse. Sanguis igitur salutem præstitit , non transitus : quia ut transitus non noceret , obstitit sanguis. Hoc timui , & me perculit. Item perscrutans inveni , & Origenem chalcenterum & verè adamantinum dicentem : Est quidem solennis dies in mense primo , alia solennitas Pascha , alia solennitas azymorum , licet iuncta videatur azymis. Principium namq ;*
- \* forte finè. azymorum ad \* fidem Pascha conjungitur : Pascha autem ipse solus dies appellatur , in quo agnus occiditur ; reliqui verò azymorum septem dies appellantur. sic enim dicit : Facies solennitatem azymorum septem diebus. Deinde Evangelio inveniemus. Inveni Dominum meum Iesum Christum dicentem :
- Luc. 22. 15. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum , antequam patiar. quod Hieronymus explanat : Finem , inquit , carnali festivitati volens imponere , umbrâque transeunte Pascha reddere veritatem , complens legem , sicut*
- Math. 5. 17 *dixit ; Non veni solvere legem sed adimplere , hoc est , addere. Vnde ad passionem veniens , vetusque consummans testamentum & novum inchoans , quintâ feriâ , Lunâ XIV. primi mensis ( qui est apud Hebræos Nisan , apud Macedones Spantoriacos , apud Ægyptios Parmothi ; qui apud Latinos interdum Martij , interdum Aprilis obtinet partem ) vesperâ procedente , accepto pane gratias egit , benedixit , fregit , dedit discipulis suis , dicens : Hoc est corpus meum , &c. Item , Hic calix novum testamentum in meo sanguine. Mandè autem facto , sextâ videlicet feriâ , consilium inierunt omnes principes sacerdotum : alterâ autem die , hoc est , Sabbato Lunâ XV. convenerunt principes & munierunt sepulchrum. Vnâ autem Sabbati , Lunâ XVI. solutis gemitibus inferni , surrexit à mortuis. Post verò dies octo , Lunâ XXIII. venit & stetit in medio discipulorum , ostendit manus & pedes & latus , & dixit , Pax vobiscum Die autem XL. post resurrectionem , à sextadecimâ videlicet Lunâ , non à quartadecimâ , eduxit discipulos suos usque in Bethaniam , & elevans manus suas benedixit eos , & elevatus est in cælum. Et cum completeretur quinquagesimus dies ( à resurrectione scilicet in XVI. Lunâ , non à passione in XIV. ) Spiritus sanctus super Apostolorum singulos sicut ignis sedit. Vnde Orientalis tota Ecclesia tres hebdomadas tribus sacratissimis solennitatibus Domini nostri Iesu Christi venerabiliter , id est , passioni , sepultura , resurrectioni deputaverunt : passioni à XIV. in XX. sepultura à XV. in XXI. resurrectioni à XVI. in XXV. Lunam ; septima-*
1. Cor. 5. 7.
- Exod. 12. 26. 27.
- Luc. 22. 15.
- Math. 5. 17
- Luc. 22. 19. 20.
- Ioan. 10. 26.
- Act. 1. 1.

nem pro reuerentiâ Dominici diei consecrans. Quia si XIV. Lunâ resurrectioni deputetur, ( ut vos facitis : ) XIII. in sepulturâ, & XII. in passione prapostero ordine fiet. Hac de re Synodis in unum congregatis ob diversitatem successorum Apostolorum ( dum Apostoli undique presuris, ut legimus, acti & diversis limitibus sparsi ordinare cyclum regulariter nequiverunt ) id est sancti Petri claviculari & sancti Ioannis petalici, alterius in circumcisionem, alterius in præputium prædicantis; inveni scriptum, excommunicandos & de Ecclesiâ peliendos & anathematizandos eos, qui contra statuta canonica quaternæ sedis Apostolicæ ( Romanæ videlicet, Hierosolymitana, Antiochenæ, Alexandrina ) veniunt concordantibus his in unitate Paschæ. Nicæna etiam Synodus trecentorum decem & octo Episcoporum est adiuncta, iudicantium de obseruatione Paschæ antiquum Canonem obseruandum; per quem nulla de reliquo orietur Ecclesiis diversitas, omnibus ritè dispositis, & Ecclesiarum pax & fides ( inquierunt ) in Orientis & Occidentis partibus una atque eadem seruetur. Item Arelatensi Synodo sexcentorum Episcoporum confirmante primo in loco de obseruatione Paschæ ut uno die & uno tempore per totum orbem terrarum à nobis confervetur: ut universalis Ecclesia uno ore, iuxta Apostolum, honorificet Dominum unum. Vnde cavendum est, ut Hieronymus ait, *ne extra unam domum, contra præceptum legis, id est, extra Ecclesiam universalem agnum typicum comedamus. Ex quo manifestum est ( inquit ) quod Iudæi & heretici & omnia conventicula dogmatum perversorum, qui agnum in unâ Ecclesiâ non comedunt, non eos agni carnes comedere, sed draconis qui datus est, iuxta Psalterium, in escam populis Ethiopibus.* Et hoc vereor, sed vos considerate quæ sunt conventicula quæ dixi: utrum Hebræi & Græci & Latini & Ægyptij simul in obseruatione præcipuarum solennitatum uniti; an Britonum Scottorumque particula, qui sunt penè extremi, & ( ut ita dicam ) mentagræ orbis terrarum; hoc mihi iudicate. *In quo enim iudicio indicaveritis, indicabitur de vobis: & in periculo vestro hoc pendet. Vos enim estis capita & oculi populi: qui si in errorem per vestram obstinatum inducetur; reddetis stricto iudici rationem de uniuscuiusque ( iuxta Ezechielem ) sanguine anima.* Seniores verò nostri, quos in velamine repulsionis habetis, quod optimum in diebus suis esse noverrunt simpliciter & fideliter sine culpâ contraditionis ullius & animositatis observaverunt, & suis posteris sic mandaverunt. iuxta Apostolum: *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie malâ abstinete vos.* Sed vereor ne accidat vobis ut universalis Ecclesiæ Catholicæ unanimem regulam malam speciem fore iudicetis: quod absit. Quid plura: venio ad Apostolum, item dicentem: *Frates, nemo vos seducat in parte diei festi, aut neomeniâ aut sabbato, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi, quod veneranda memoria sanctus Augustinus pulchrè explanat. Dies festus, inquit, Pascha est, iuxta Evangelistam Lucam, dicentem; Appropinquabat autem dies festus azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha. Pascha occidetur, veritas vivificatur. Pars autem diei festi, XIV. Luna, non totus dies, in quâ seducimur, sed in parte, & sabbato otioso, & neome-*

Psal. 74.  
14.

Matth. 7. 2.

Ezech. 3. 18.  
10. & 33. 8.1. Thess. 5.  
21. 22.Coloss. 2.  
16. 17.

Luc. 22. 1. 7.



- niâ buccinatâ : quæ sunt umbra, non corpus Christi. Umbra occiditur: veritas vivificatur. Et hoc obsecro diligenter inspicite : ut mihi ignoscatis, vel me dirigatis, verbis vestris, vel scriptis fortioribus & certioribus prolatis, ad aliud melius intelligendum, si habetis; & ego suscipiam gratanter, ut hoc suscepi. Si verò non habetis; filete, & nolite nos hæreticos vocare. Scriptum est enim : *Va qui dicitis bonum malum, & malum bonum ponentes tenebras lucem, & lucem in tenebras.* Diei enim sumus filij, non noctis neque tenebrarum, & cavere debitis quod de aliis dicitur : *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* Non ergo nos vos odimus, sed nos veris defendimus. Hieronymus item adest auxiliator, dicens. *Non est alia Romane urbis Ecclesia, alia totius orbis estimanda est. Et Gallia, Britannia, Africa, & Persis & Oriens & India, & omnes Barbara nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si auctoritas, inquit, queritur; orbis major est urbe, Episcopus Roma, sive Alexandria, &c. & post aliquanta. Hinc, inquit, præsidys fulta mundi, Arriana fremit rabies: hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere festinat monachorum chorum circa commorantium. Antiqua, inquit, in me insurgit auctoritas. Ego interim clamito; si quis cathedra sancti Petri iungatur, meus est ille. Aut ergo duo mentiuntur; aut omnes. Angustia mihi undique. Si ego hoc clamavero cum Hieronymo, divinarum Scripturarum interprete & omnium hæreticorum impugnatore; à vobis impugnor: si non clamavero, ab universali Ecclesiâ catholicâ excommunicor, cui alligandi solvendique auctoritas à Deo data est. His perscrutatis, venio ad Cyprianum, totum (ut aiunt) sumendum; & invenio illum penè omnium de unitate Ecclesiæ gravissimum: qui ait, *Ab uno patre, & ab unâ matre in hunc mundum venimus, & sic in futurum veniemus.* Qui non habet unam matrem in terrâ, nec unum patrem habebit in cælo. Idè post confessionem Trinitatis, in quâ est Pater cum Filio & Spiritu sancto, subsequitur unius matris pia confessio, dicens sanctam esse Ecclesiam Catholicam. Cur unus Adam fingitur, & una Eva de latere tollitur & in mulierem formatur? Nonne secundum Apostolum *mysterium magnum est in Christo, & in Ecclesiâ?* Non est ergo altera Christi de latere, sed una est formata. Vnde unus est in latere Christi Iesu lanceâ militis mysticus locus, de quo *exiit aqua & sanguis*: quæ duo in signa unius Ecclesiæ. Vnde una arca servatur in diluvio, nec altera. \* *si potuit evadere quisquam [qui fuit extra arcam] Noë; & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet.* Vnde unum tabernaculum in monte Moyse & exemplar ostensum est. Vnde unus locutus est apud Deum, in quo Moyses extrema manus superam vidit, dicente Domino : *Est locus apud me, sta in foramine petra, & posteriora mea videbis.* Petra autem erat Christus: posteriora manus, incarnatio; foramen unum, una passio; locus unus, una Ecclesia figuraliter intelligi potest. Videte quòd non videtur dextra Domini nisi in uno loco, in unâ petrâ, in uno foramine. Vna Raab meretricis domus ab incendio Iericho sub cocceneo fune salvata. Vnde unum Templum à Salomone construitur, *Ecce quam bonum & quam incundum, habitare**
- Esaï. 5. 20.  
Ezech. 13. 19.  
Hieronym. epist. 85. ad Euagrium.  
Id. epist. 58. ad Damasum.  
Ibid.  
Habeve iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.  
Cyprian. de Unitat. Ecclæs.  
Ephes. 5. 32.  
Ioan. 19. 34.  
\* Cyprian. de unitate Ecclæs.  
Exod. 33. 21. 22. 23.  
Iosu. 2. 18. 21.  
Psal. 133. 1.

fratres in tunum. Quæ omnia quomodo de unitate Ecclesiæ explanata sunt, bene (ut credo) meministis. His perterritus, ad alia me converti, & inveni Augustinum (qui dicitur aqua de nubibus) versum de Psalterio explanantem hunc; *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.* Per diem à Sole uritur, qui prava de Christo sentit; & per noctem à Lunâ, qui prava de Ecclesiâ sentit. Vnde scriptum est in lege: *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.* Quid autem pravius sentiri potest de Ecclesiâ matre, quàm si dicamus? Roma errat, Hierosolyma errat, Alexandria errat, Antiochia errat, totus mundus errat: soli tantùm Scoti & Britones rectum sapiunt. Item Hieronymus: *Moses, inquit, moriens plangitur; Jesus absque lachrymis in monte sepelitur.* In lege morientes, sub XIV. Lunâ Dominum crucifigentes, plangam: sed cum Christo resurgentes in Evangelio suscipiam. Occurrit mihi item Augustinus sanctus, ubi contra totas hæreses sub anathematis titulo disputat; dicens. *Tessares cadicaduta*, id est, quartanæ decimæ esse hæreses eorum qui Pascha XIV. Lunâ cum Iudæis faciunt. Item tractans Evangelium, de illis inquit. [Ex] *languentibus super piscinam unum Iesus elegit quem sanaret: quia quisquis præter unitatem fuerit, licet venerit, sanari non potest.* Et hoc mihi horret, nisi me consularis vestri fida ratio validiori & certiori sententiæ perducatur. Quid plura? Ad Gregorij Papæ, urbis Romæ episcopi (à nobis in commune suscepti, & oris aurei appellatione donati) verba me converti; qui etsi post omnes scripsit, tamen est meritò omnibus præferendus: & inveni illum hunc locum apud Iob tractantem; *Auro locus est in quo conflatur, &c.* Aurum est sanctorum massa; locus conflationis, unitas Ecclesiæ; ignis, ignis, tribulatio martyrij. Qui ergo extra unitatem Ecclesiæ uritur, conflare potest, purgari non potest. Vnde & Paulus ait: *Si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, & reliqua.* Item ad eundem sensum interpretantem & hunc versum alio loco inveni. *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut salvum me facias* nec in cælo angelis, nec in terrâ hominibus locum munitum, id est, tutum invenit, nisi humilem unitatem; quem Archangelus amisit & nunc diabolus est, & quem homo imitatus, illum amisit, & nunc mortuus est. Et hoc timeo: vos considerate compatienter, fratres, si \* merito est, an ignavia.

Postremò ad cyclorum computationem diversorum, quid unaquæque lingua de cursu Solis & Lunæ sentiret; conversus totus, licet diversè alium in die, alium in Lunâ, alium in mense, alium in bissexto, alium in epactâ, alium in augmento Lunari (quod vos saltum dicitis:) inveni cyclos contra hunc quem vos tenetis esse contrarios. Primum illum quem sanctus Patricius Papa noster tulit & facit; in quo Luna à XIV. usque in XXI. regulariter, & æquinoctium à XII. Kalend. April. observatur. Secundo Anatolium, quem vos extollitis quidem a ad veram Paschæ rationem numquam pervenire eos qui cyclum LXXXIV. annorum

a Desideratur hic aliquid: de quo videnda *Vilfridi* disputatio apud Bedam, lib. 5. histor. Ecclesiast. cap. 25. & *Aldelmi*, inter epistolas Banifacij editi Mongunt. ann. 1605. p. 59.

Psalm. 121.

6.

Exod. 21. 17

Levit. 20. 9.

Math. 15. 4

Marc. 7. 10

Gregor.

Moral. in

Iob. lib. 18.

Iob. 28. 1.

1. Corinth.

13. 3.

Psalm. 31. 3.

\* Addend.

forte ex

observant. *Tertio* Theophilum. *Quarto* Dionysium. *Quinto* Cyrillum. *Sexto* Morinum. *Septimo* Augustinum. *Octavo* Victorium. *Nono* Pacomium monachum, Ægypti cœnobiorum fundatorem; cui ab Angelo ratio Paschæ dictata est. *Decimo* trecentorum decem & octo Episcoporum decennovennalem cyclum ( qui Græcè Enneacedeceterida dicitur ) in quo Kalend. Ianuarij Lunæque eiusdem diei & initia primi mensis ipsiusque XIV. Lunæ recto iure ac si quodam clarissimo tramite, ignorantia relicta tenebris, studiosis quibusque cunctis temporibus sunt adnotata, quibus Paschalis solemnitas probabiliter inveniri potest. Hunc inveni valde huic ( cuius auctorem, locum, tempus, incertum habemus, ) esse contrarium in Kalendis, in bissexto, <sup>b</sup> in epactâ, in XIV. Lunâ, in primo mense, in æquinoclio. *Scrutamini*que, ut Cyrillus ait, quod *ordinavit Synodus Nicena Lunas quartasdecimas omnium annorum per decennovennalem cyclum:* ( quem Victorius per viceimas & octavas vices cum Kalendis DXXXII. & bissexto CXXXIII. in id ipsum unde ortus est redire fecit ) *ut non fallamur in Lunâ primi mensis; & celebremus Pascha in sequenti Dominico, & non faciamus in Lunâ XI V. cum Iudæis & hæreticis qui dicuntur Tessares cedecadæto, & constitutum est, inquit, in omnibus Synodis, præter Synodum Gangrensem & Cesarientem, ut non faceret ulla Ecclesia, vel civitas, & omnis regio contraria his que statuta sunt de Pascha in Niceno Concilio. Et si non scripisset Synodus Nicena cyclum Lunarem primi mensis; sufficeret cyclus e lapidis Selenitis in Perside ad exemplum rationis Paschalis, cuius candor interior cum Lunâ primi mensis crescit & decrevit. ut non faciamus communem de embolismo, & embolismum de commune, id est, brevem annum Lunarem XII. mensium de longo, id est, XIII. in quo abortivam Lunam fallaciter celebratis. ut in primo mense in unitate Ecclesiæ verum agnura veri Israëlita immaculatum immaculati in unâ domo ( sicut præceptum est ) comedamus, in quo mense eduxit Caim Abel iustum in campum ut occideret eum; in typo Christi educti in prætorium Pilati in sextâ feriâ, quia in eadem die conceptus creditur in utero, & mortuus est in cruce; dum in sextâ feriâ mortuus est Adam in animâ pro peccato in paradiso, & in eadem die obiit in corpore.*

Exod. 12. 4<sup>6</sup>

Hæc probate, si vultis; si non, renuntiâte Catholicis testimoniis: si nec utrumque utrique hoc dicamus. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis. Et non iudicemus ante tempus, donec veniat qui illuminabit occulta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et nolite iudicare, ut non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaveritis, indicabitur de vobis. Et quid iudicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. Onus est vobis, ut video, quod dico: onus est & mihi quod dicitis, nisi verbis Scripturæ sanctæ probaveritis. Onera ergo nostra invicem portemus; & sic adimplebimus legem Christi. Si enim alter alterius percutiamus infirmam conscientiam, in Christo peccamus.*

2. Cor. 5. 10

1. Cor. 4. 5.

Matth. 7.

1. 3.

Rom. 14. 4.

Galat. 6. 2.

1. Cor. 8. 12.

2. Cor. 5. 13.

Rom. 14. 8.

<sup>b</sup> Ex laciniâ epistolæ Cyrilli ad Synodum Carthaginiensem ineptè adfutâ: de quâ consulendus Petavius, Doctrin. temporum, tom. 1. pag. 221. & tom. 2. pag. 893. 894.

<sup>c</sup> Vid. Damascium in vitâ Ilidori; apud Phorium, pag. 568. 569. edit. Græc.

si sanum sapimus, vobis sapimus; si mente excidimus, Deo: si vivimus, Domino vivimus; si morimur, Domino morimur, quia Domini sumus. Obsecramus vos pro Christo, ut non nobis impropereis cum matre nostra: quia omnis soboles suæ matris speciem imitatur. Vnde accipimus spiritum, inde spiramus: loquacitatem nostram vestra fiducia præstat.

Anno igitur ( ut prædixi ) emenso, iuxta Deuteronomio, *Interroga- Deut. 32. 7.*  
*vi patres meos ut annuntiarent mihi, majores meos ut dicerent mihi: ( suc-*  
*cessores videlicet nostrorum patrum priorum, Ailbei Episcopi, Quera-*  
*ni Colonienfis, Brendini, Nessani, Lugiai, )* quid sentirent de excom-  
 municatione nostrâ, à supradictis sedibus Apostolicis factâ. At illi con-  
 gregati in unum, alius per se, alius per legatum suam vice suâ missum,  
 in campo *Lenc* sanxerunt, & dixerunt; Decessores nostri mandaverunt  
 per idoneos testes; alios viventes, alios in pace dormientes, ut meliora  
 & potiora probata à fonte baptismi nostri & sapientiæ & successoribus  
 Apostolorum Domini delata sine scrupulo humiliter sumeremus. Post  
 in commune surrexerunt, & super hoc orationem ( ut moris est ) nobis  
 celebraverunt, ut Pascha cum universali Ecclesiâ in futuro anno cele-  
 brarent. Sed non post multum surrexit quidam paries dealbatus, tradi-  
 tionem seniorum servare se simulans; qui utraque non fecit unum, sed  
 divisit, & irritum ex parte fecit quod promissum est: quem Dominus  
 ( ut spero ) percutiet quoquo modo voluerit. Deinde visum est seniori-  
 bus nostris, iuxta mandatum, ut *si diversitas oborta fuerit inter causam & Deut. 17. 8*  
*causam, & variaverit iudicium inter lepram & non lepram irent ad locum*  
*quem elegit Dominus;* ut si causæ fuerint maiores, iuxta decretum Syno-  
 dicum, ad caput urbium sint referendæ: misimus quos novimus sapien-  
 tes & humiles esse, velut natos ad matrem, & prosperum iter in volun-  
 tate Dei habentes, & ad Romam urbem aliqui ex eis venientes, tertio  
 anno ad nos usque pervenerunt, & sic omnia viderunt sicut audierunt:  
 sed & valdè certiora, utpote visa quàm audita, invenerunt: & in uno  
 hospicio cum Græco & Hebræo; Scythâ & Ægyptiaco, in Ecclesiâ san-  
 cti Petri simul in Paschâ ( in quo mense integro disjuncti sumus ) fue-  
 runt: & ante sancta sic testati sunt nobis, dicentes; Per totum orbem  
 terrarum hoc Pascha, ut scimus, celebratur. Et nos in reliquiis san-  
 ctorum martyrum, & scripturis quas attulerunt, probavimus inesse vir-  
 tutem Dei. Vidimus oculis nostris puellam cæcam omninò ad has  
 reliquias oculos aperientem & paralyticum ambulantiem, & multa dæ-  
 monia eiccta.

Hæc dixi, non ut vos impugnarem, sed ut me ut auctioracem in  
 domicilio latitantem defenderem. Sed si quid fortè impositum vel vi-  
 tiosum per immunda labia dixi, bicipi labij vestri forcipe per igniferum  
 Esaiam altaris Dei carbonem tangite; & præputium inculti logij bi-  
 faris ter quaternis cultris Ben-Nun quinis denis digitalis humatis cum  
 plebis præcidite prioris præputijs. Nefas est enim errata tua non agnos-  
 cere, & prolata certiora non approbare. Hæreticorum est propriè, sen-  
 tentiam suam non corrigere malle perversam quàm mutare defensam  
*Scienti etenim bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. Peccati verò*  
 Iesai. 6. 6.  
 Iosu. 5. 3.  
 Iacob. 4. 17.  
 Rom. 6. 23.

*stipendium mors est: à quâ nos divina Majestas, & simplex trinitas, & multiplex apex, (subtus quem nihil est, intra quem nihil est, citra quem nihil, ultra quem nihil, supra quem nihil; sustinens omnia sine labore, penetrans omnia sine extenuatione, circumdans omnia sine extensione, superans omnia sine inquietudine) liberare dignetur. Amen, amen.*

GRANDIS LABOR EST PRVDENTIÆ.

RECENSIO.

*Eam ex veteribus Cottoniana Bibliotheca membranâ descripsi, hoc titulo prænotatis: Epistola Cummiani, directâ Segieno Abbati, de disputatione Lunæ, qui quidem Segienus non alius fuisse videtur, quàm Segenus sive Segianus ille (variant enim ibi in nominis descriptione exemplaria) cuius in IX. Epistola ἐμπεραφῆ facta est mentio; quemque Huenfis S. Columba insula ab anno 622. usque ad 652. Abbatem extitisse, ex Annalibus nostris Vltionensibus didicimus. Meminit eiusdem & Beda libro 3. Historia, capitis 5, (vel 4 ut antiquissimi codices Manuscriptis distinguunt) initio; & Adamnanus de S. Columbâ lib. 1. cap 3.*

SCOTI cujusdam anonymi, ad *Aldhelmum* Malmesburiensem Abbatem.

EPIST. XII.

Circa annum 680. *Domino sancto, sapientissimo, Christo quidem charissimo Aldhemo, Scotus ignoti nominis in Deo aeterno Salutem.*

**D**VM te præstantem ingenio, facundiaque Romanâ, ac vario flore literarum (etiam Græcorum more) non nesciam; ex ore tuo, fonte videlicet scientiæ purissimo; dicere malo, quàm ex alio quolibet potare, turbulento Magistro præsertim. Hoc scito prænosceps, quòd idcirco te fiducialiter ita obsecro, ut me suscipias, doceasq; quoniam fulgor (ceu dictum est) sapientiæ præ multis in te fulget lectoribus, ac peregrinorum mentes cupientium sapientiam discere cognoscis; quia tu Romæ advena fuisti, insuper quòd à quodam sancto viro de nostro genere nutritus es. Hæc compendij causâ sufficiant; quia si humiliter per charitatem volueris attendere, non minùs per pauca verba, quàm per plurimas fermocinationes perspicias. Hæc tibi quoque sinceriter dissero. Libellum quendam habes, qui non est maior acceptorio duarum septimanarum; quem ego legere cupio. Hoc autem breve tempus prædico; non eo quòd mihi plus non opus sit, sed ne hæc petitio fastidium in tuâ mente creet. Ministrum quoque equosque, ut opinor, adipiscar. In hoc autem tempore messis, lætum à te responsum sperabo. Orantem pro nobis Beatitudinem tuam divina gratia custodire dignetur.

*CHRISTE potens rerum, redeuntis conditor ævi,  
Vox summi sensusque Dei, quem fudit ab altâ  
Mente pater, tantique dedit consortia regni  
Impia tu nostra domuisti crimina vite,  
Passus corporeâ mundum vestire figurâ,*

*Affarique*

HIBERNICARVM SYLLOGE.

25

Affarique palam populos, hominemque fateri.  
 Quemque utero inclusum Maria, mox numine viso  
 Virginei tumuere sinus: innuptaque mater  
 Arcano stupuit compleri viscera partus,  
 Authorem paritura suum: mortalia corda  
 Artificem texere poli, mundique repertor  
 Pars fuit humani generis, latuitque sub imo  
 Pectore, qui totum late complectitur orbem.  
 Et qui non spatij terra, non aquoris unda,  
 Nec capitur caelo, parvos confluit in artus.  
 Quin & supplicij nomen nexisque subisti,  
 Vt nos subriperes leibo, mortemque fugares  
 Morte tua: mox aethereas euectus in auras.  
 Purgata \* repetens latum te luce parentem.  
 AVGVSTVM foreas: festis ut saepe diebus  
 Annua sinceri celebret sejunia sacri.

\* repetis lar-  
 tum cellu-  
 re p.

RECENSIO.

Aldhelmus, cum esset adhuc presbyter, Abbas fuit monasterij quod Maildubi (vel Maildusi) urbem nuncupant: ut in libro 5. Historia, capite 19. (vel, ut in Manuscriptis 18.) confirmat Beda. Est autem monasterium illud, non in Scotiâ (ut Trithemius, cumque secuti Gesnerus & a maledicentissimus Dempsterus, avolati sunt) sed in Angliâ positum; atque olim Mailduseburch, hodie Malmesburiae nomine notissimum. Quo in loco Aldhelmus à primo aëvo infantia, atque ab ipso tyrocinio rudimentorum, liberalibus litterarum studiis eruditus, & in gremio sanctae matris Ecclesiae nutritus, vitam duxit: ut habet in b Charta, 8. Kalend. Septembr. anno Dom. 675. data, Lutherius Occidentalium Saxonum episcopus; à quo primum coenobij, illius Abbas constitutus est ipse Aldhelmus. Qua enim prius Ingelborne, postea Mailduburi & Maldensburg nomen habere cepit ab Aldhelmi magistro Maildulpho Scoto-Hiberno, viro summâ eruditione & singulari vitae sanctitate: quemadmodum in VViltoniae descriptione docet Guilielmus Camdenus. Cui & Guilielmi Malmesburien- sis adijcimus testimonium, in Aldhelmi vita anno 1105. ab eo exarata. Cum iam maiusculus à Cantia in VVestfaxonibus remeasset; religionis habitum in Meldunensi accepit coenobio, quod situm in civitate quae antiquo vocabulo Mealduberi, nunc Malmesberi vocatur. Id quidam Meldum, qui alio nomine vocatur Meildulf, natione Scotus, eruditione Philosophus, professione Monachus fecerat. Qui cum natali solo voluntarie carens illuc devenisset, nemoris amoenitate (quod tunc temporis in immensum eo loci succreverat) captus, heremiticam vitam exercuit: deficientibusque necessariis, scholares in discipulatum accepit, ut ex eorum liberalitate tenuitatem victus corrigeret. Illi procedente tempore magistri sequaces, ex scholaribus monachi effecti, in conventum non exiguum coaluerunt. Horum exemplo & consortio Aldhelmus informatus ad studium, liberales artes plenitudinis scientiae adjecit. Unde jam liquet, quid illa sibi velint Scoti nostri verba in hac ad Aldelimum epistola: quod à quodam sancto viro de nostro genere nutritus es.

a Demp-  
 ster. lib. 1.  
 Histor. Ec-  
 clesias.  
 pag. 7.  
 b Guiliel.  
 Malmes-  
 bur de gest.  
 Reg. An-  
 gior. lib. 1.  
 cap. 2.

Addit de Aldhelmo ibidem Guilielmus. Taceo de compatriotis, qui certarim ad eum scripta sua emittebant, eius iudicij censuram subitura. Praetereo Scotos, tum maxime doctos, qui idem fecisse noscuntur. Quorum aliquos non obscura litteraturae nominare possum: maxime Artvillum, regis Scotiae filium. Hic quicquid litterariae artis elaborabat (quod non adeo exile erat) Aldhelmi committebat arbitrio; ut perfecti ingenij limâ eraderetur scabredo Scotica. Videndum igitur an non Artvillus, sive Artvillus ille author huius fuerit Epistola: cuius partem quidem huic ipsi scripto Malmesburien- sis inseruit, integram vero, unâ cum annexa Carmine (quod à quibusdam VVserij Epist. Hibern.

D

Damaso, ab alijs Claudio tribuitur) ex Viennensis & Ingolstadiensis Bibliothecæ Manuscriptis inter Bonifacianas edidit Nicolaus Serarius, qui etiam in Notis, non alium hic Scogum accipiendum esse quàm Hibernum, rectè monuit.

EPIS T.  
XIII.

ALDHELM I Malmesburiensis abbatis, ad Eahfridum ex  
Hiberniâ in patriam reversum.

Circa An-  
num 690.

Domino, venerabili praconio efferendo & sanctorum meritis magnopere  
honorando, Eahfrido; Aldhelmus exiguus in Domino  
aeternam salutem.

PRIMITVS (a pantorum procerum pratorumq; pio potissimum, paternoq; praesertim, privilegio) panegyricum poemataq; passim b profatori sub polo promulgantes; stridula vocum symphoniâ, ac melodia, cantilenâq; carmine modulatore, hymnizemus. praecipue quia tandem almae editum puerperae cfobolem (ob inextricabile sors protoplastorum) piaculum priscorumq; chirographum peccaminum oblitteratum, terris tantundem destinare dignatus est: luridum qui linguis d chehydram trifuleis rancida virulentaq; vomentem per avum venena torrenda tetrae tortionis in tartara trusit. Et ubi pridem ejusdem nefandae e natricis f ermuli \* cervuliq; crudâ fanis colebantur stoliditate in profanis, versa vice discipulorum gurgustia (imò almae oraminum aedes) architecti ingenio fabrè conduntur.

Fateor (sodalitatis fraternae cliens, aliiq; municipatus municeps) postquam vestram repedantem istuc ambrosiam ex Hibernia brumosis circionum insulae climatibus (ubi ter bino circiter annorum circulo uber sophia fugens metabatur) territorij marginem Britannici hospitem applicuisse, rumigerulis referentibus, comperimus: ilicò (ut flammiger flagransq; flagitabat amor) ineffabiles altithrono grates, pansis in edito utrimq; volis, tripudiantes obtulimus. potissimum, quòd te exulem almus arbiter priscam paterni visitantem clientelam ruris (caerula ponti trans glauci, enormesq; dodrantium glareas atq; spumiferas lymphae nemphae obstirpationes, circili carinâ procellosum sulcante salum) reducere, ovante navarcho, dignatus est: ut, ubi dudum incunabulis tyrocini jeditus rudibus adulto tenus pubertatis aeo adoleveras, nunc verla vice (supernâ opitulanti praerogativâ affatim fultus)

a πάντων. i. cunctorum. ubi praeter putidam Graecismi affectationem (qua in hac epistola crebra est) observa XV. voces à literâ P, incipi ntes; ac si à Pugna porcorum Porcij poeta exemplum author transfulisset.

b Patrem intelligit. c Filium. d χέλυοςες, anguem. e Serpentis: ut apud Cicronem, in Academic. f forte ad ERMENSVL Saxonum idolum hic alludit, cuius in Francieis Annalibus ad Annum 772. fit mentio; quodque Herma sive Mercurio putatur fuisse positum. Veteres enim Germanos Deorum maximè Mercurium coluisse, confirmat in Germaniâ suâ Corn. Tacitus, & Eginhardus in Gestis Saxonum, apud Adamum Bremensem Hist. cap. 5. ubi etiam de IRMINSVL is videndus: ut & Rich. Verstegan. Restitut. Antiquitat. Anglican. cap. 3. & Glossarium D. Henr. Spelmani nostri, in Irminsul. \* De cervulis, vel binnulis, vid. Augustinus de Temp. serm. 115.

ab incolatu externi ruris repatrians, præceptoris vocamine indepto fortitq; fretus fungeris.

Illud æquè almitati Beatitudinis vestræ ex penetrabilibus præcordij nequaquàm promens dissimulo propalare (ad augmentum, Mystisq; ut reor tripudium, imò ad *g. doxam onomatis egypti*) magnoperè inolevisse: quòd præconio citra modum rumoris *Scottico* in solo degentium (quorum contubernio parumper fretus es) ceu tonitruali quodam boatu fragore nymboſo emergenti, auditus noſtri quatiuntur; & per tot tantaq; telluris stadia lectioſis opinio, pagis provincijsq; divulgata, crebreſcit. Si quidem tam creber meatus est (iſtinc illincq; iſtuc illucq;) navigero æquoreas fretantium calle gurgites, velut quædam contribula apium germanitas nectar fabrè conficientium. Nam que madmodum alternatim, reciprocâ facellente noctis nebulâ, mellifluum examen (emergente axe tenus æthere Titanæ) gliſcentium culmina tiliarum per florulenta, ad crates graciles, farcinatum, flava bajularis gestamina aſportat: eodem modo, ni fallor, lurconum conglobatio lectorum (*dunning tat fuioh*) ac residua ſagax diſcipulorum caterva, florigeris hagiographæ ex arvis, non ſolùm artes Grammaticas atq; Geometricas bis ternasq; omiſſas Phyiicæ artis machinas; quinimò allegorica potiora ac tropologica diſputationis bipertita bis oracula (æthralibus opacorum mellita in anigmatibus problematum) ſiticolosè ſumentes carpunt, & in alveariis ſophiæ, iugi meditatione loco tenus ſervanda condentes, abduunt. E quorum catalogo tuam proſciſci ſolertiam, prædâ onuſtam atquæ torrente fluentis ſacroſancti propinatam redundantemque excellens fama percrebuit.

Quamobrem tuum affabilem diſcipulatum, ceu cernuus, ſingultarim arcuatis poplitibus ſubnixiſque precibus eſſagito; ut obliterated nequaquàm memoriâ excedat, quod *h. Pacificus* cœleſti ambroſiâ præditus, (*ſubrogatus i genitore iure hæreditario, bis quaternis temporum luſtris Iſraeliticæ plebis imperij ſceptro fungens,*) almo auctus ſpiramine prompſit, dicens. *Bibe aquam de cisternâ tuâ, & ſuenta putei tui: deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas divide; ſolus habero eas, nec ſint alieni participes tui.* Quapropter hiſ ſacris imbutus ſagminibus, iugi conamine orthographiæ aperito gurgitem, & ſitientia rigato arva mentium: quatenùs germen æthralis extaſeos (vivis ſæcundiſque in orthodoxorum, ſatoris ſudore, ſulcis ſatum) nullo torridæ obſtaculo ſiccitatis obtinente, pullulans gliſcat; & ubertim ſpiſſa, Dei ſuffragio, ſeges demùm matureſcat.

Nam idcirco ſupplex tam obnixè hæc cernitur oramen ſuggeliſſe, quòd nonnulli ſupernâ noſcuntur ſophiâ præditi, & arcanâ luce enormiter referri: attamen quod gratuitâ cœlitùs munificentia, Deique daſiſi deditioſe receptantes (proprio facellante meritorum quaſtu) adepti ſunt, nequaquàm (gazophylacio ſcientiæ referato) plene promul-

*g. doxam onomatis egypti, gloriam nominis Domini.*

*h. salomon: qui à pace nomen obtinuit.*

*i. genitori, vel, à genitore, patre David ſc.*

Marth. 5.  
15.  
Marth. 25.  
18. 27. 30.

gantes, sed particulatim lurconibus largientes. Nam (x cata Euangelicæ experimentum auctoritatis) nequaquam flagrans lychnus clanculè fuscata tetræ occultitur latebrâ urnæ, qui candelabri summitate cunctis limpido lumine lucere decuit: necnon frustra talenti fenora subterraneis clanculantur obstructa / sablonibus, quæ trapezitarum numerosis monetæ oportuissent numismatibus profligari. ne fortè, ut iners adepto (segnitiâ torpens) mancipium talento, supremos ergastulorum in squalores trusus præcipitetur; sed potiùs *euax engeque* ingressurus tripudium à profatore pio promereatur. Vnde Psalmigraphus vates, ob hoc propria piaculi expians flagitium conscientiæ, sacro præfagio orfus inquit:

Pf. 40. 10.

*Iustitiam tuam non abscondi*, & reliqua.

Sed hæc misellus homuncio dictando volvens, scrupulo ancipiti extemplo quatiens angebar; (cur inquam) *Hibernia*, quò catervatim istinc lectores classibus advecti confluunt, ineffabili quodam priuilegio effertur: ac si istic, sæcundo *Britannia* in cespite, didascalici Argivi Romanive Quirites repperit minimè queant, qui cælestis tetrica enodantes bibliothecæ problemata sciolis referare se sciscitantibus valeant. Quamvis enim prædictum *Hibernia* rus, discentium opulans vernansque (ut ita dixerim) pascuosâ numerositate lectorum, quemadmodum poli cardines astriferis micantium ornentur vibraminibus siderum: ast tamen climatis Britannia occidui in extremo ferme orbis margine sita (verbi gratiâ ceu *Solis* flammigeri & luculento *Luna* specimine potiatur, id est, *Theodoro* infulâ Pontificatus tangenti, ab ipso tyrociniò rudimentorum in flore philosophicæ artis adulto; nec non & eiusdem sodalitatibus cliente *Adriano* duntaxat urbanitate enucleatâ ineffabiliter prædito.

Et audacter in propatulo contestans, pellaci falsitatis frivolo neglecto, æquâ veritatis censurâ trutinante discernâ, etiam si Beata memoriæ *Theodorus*, summi Sacerdoti gubernacula regens, *Hibernensium* globo discipulorum (ceu aper truculentus molossorum catastâ ringente vallatus) stipetur: limato perneciter Grammatico dente, iacturâ dispendij carens, rebelles phalanges discutit, & utpote belliger in meditullio campi arcister, legionum phalangibus septus æmulorum spillis, mox nervosis tenso lacertorum volis arcu, spiculisque ex pharetrâ exemptis, hoc est, Chronographiæ opacis acutisque syllogismis; turma supercilij typho turgens (amissâ ancilium testudine) terga dantes, latebras antrorum atras (triumphante victore) prepopere petunt.

Neu tamen hæc philosophando, *Scotticos* sciolos (quorum gemmato tua sagacitas dogmatum favo aliquantisper *m* abusa est) sagillare à quoquam autumer; (quippe cum satagerem præconium cudens affabiliter texere nostrorum, non sugillationem ridiculose cachinnans rumigerare vestrorum:) sed potiùs, jocistæ scurræque ritu dicacitate temerariâ loquentium, fraternæ *n* ironiâ dilectionis obtentu \* cavillabatur. Si vero quippiam, inscitiâ suppeditante, garrulâ frontose convincitur pagina promptisse: ut *Verfidicus* ait,

\* Locus corruptus.

x *κατα*, secundum, ut in Bonifacii Moguntini epistolis, & apud Cyprianum quoque. l *avenis*: ut in Gildæ epistolâ.

m id est, *usa*; ut apud Hieronymum etiam aliquoties. n *επιρωιζ*.

o Digna fiat fanie glingio gurgo fugax sambulo;  
 Nen timeat scriptor terrenis ludicra lingua.  
 Sic semper cupiunt scriptorum carpere chartas,  
 Ut caper hirsutus rodet cum dente racemos:  
 Nec tamen emendant titubantis grammæ Pœta.

o Ad hunc barbarum versualem apponitur hæc glossa (non admodum certè concinna) in margine Manuscripti. D. Rob. Cottoni & Thomæ Alani. Fugax gurgo, id est, virgo impetrante novicæ de matrimonio exposita, inter feras enutrita, ferarum consuetudinibus assuescens: quæ alio nomine iuturna. Fanie glingio, id est, rogante fratre, vel alio qualibet amico; ut digna fieret illa fugax gurgo, sambulo, id est, reversione, vel sine laboris.

## RECENSIO.

Ex quatuor antiquissimis codicibus descripta: quorum primum suppeditavit mihi nobilissimus Dominus Guilielmus Howardus de Nawvorth, secundum D. Robertus Cottonus, tertium Thomas Alanus Oxoniensis, & ex Regiâ Bibliothecâ quartum amicissimus Patricius Iunius. Scripta est autem stylo ita impedito & implicato, ut non admodum mirari subeat, etiam Guillemi Malmesburienfis temporibus repertos fuisse, quibus huiusmodi Aldhelmi scripta pauleam pepercit: non attendentibus quòd iuxta mores gentium varientur modi dictaminum. Ita ille, de gestis Regum Anglorum lib. 1. cap. 2. ad dicti confirmationem porro subiiciens: Græcos involutè, Romanos circumspectè, Gallos splendide, Anglos pompaticè dictare solere. Porro Eadfridus sive Eadfridus (EA enim Anglo-Saxonum, AE Latinorum diphthongo respondet) ad quem, post sex annos studius in Hiberniâ impensus, missa est hæc Epistola; non alius esse videtur quàm Eadfridus (ab aliis Eadferd, à quibusdam etiam Egfridus dictus) cui Beda Vitam Cuthberti soluta oratione à se descriptam dicavit: quemque Eadberto anno Dom. 698. in Lindisfarneri episcopatu successisse, ex Dunelmensis Ecclesiæ Historia à Turgotto conscripta, & Florentij Wigorniensis Annalibus intelligimus. Antequam verò ille Episcopatum est adeptus, Epistolam hanc scriptam fuisse liquet; licet in Regio Manuscripti titulum hunc præfixum habeat. Incipit Epistola Aldhelmi Episcopi. Verum, cum post annum 693. ad Schireburnensem Episcopatum Aldhelmum provecum fuisse consistet: nos priorum Malmesburienfis Abbatis appellationem retinere maluimus.

## ADAMNANI Huenfis Monasterij Abbatis.

In libros tres de vitâ S. Columba.

## PROLOGVS.

BEati nostri Patroni (Christo suffragante) vitam descripturus, fratrum flagitationibus obsecundare volens: imprimis eandem lecturos quosque admonere procurabo; ut fidem dictis adhibeant comperitis; & res magis quàm verba perpendant, quæ (ut æstimo) inculta & vilia esse videntur. meminerintque, Regnum Dei non eloquentiæ exuberantiâ, sed in fidei florulentâ constare: & nec ob aliqua Scotticæ, vilis videlicet linguæ, aut humana \* onomata, aut gentium obscura locorumve vocabula (quæ, ut puto, inter alias exterarum gentium vilescunt linguas) utilium, & non sine divinâ opitulatione gestarum, desipiant rerum pronuntiationem. Sed & hoc Lectorem admonendum putavimus; quòd de beatæ memoriæ vito, plura studio brevitatis, etiam memoriæ digna, à nobis sunt prætermittenda: & quasi pauca de plurimis,

D iij

EPICR.  
XIV.

\* οὐόματα,  
nomi. A.



UB

Universitätsbibliothek Johann Christian Senckenberg  
Frankfurt am Main

\* *κατατά,*  
*παιρ οδ*  
*Χαροσιν.*  
 ad evitandum fastidium lectorum, sint \* *κατατά.* Et hoc ( ut arbitror )  
 quisque hæc lectorus fortè annotabit, quod minima de maximis per  
 populos fama de eodem Beato viro divulgata disperserit; ad horum  
 etiam paucorum comparationem, quæ nunc breviter *κατατά* dispo-  
 nimus.

## EPILOGVS.

Post horum trinalium lectionem libellorum, quisque diligens an-  
 notet lector, quanti & qualis meriti sanctus sæpe supramemoratus præsul  
 venerandus, quantæ & qualis apud Deum honorificentia fuerit æstimatus;  
 quantæ & quales Angelicæ apud ipsum & luminosæ frequentationes  
 fuerint; quanta in eo prophetalis gratia, quanta dialium efficientia  
 virtutum, quanta & quam frequens eum divini luminis claritudo in  
 carne mortali adhuc commemorantem circumfulserit. Quin etiam post  
 \* egressum. \* ingressum animæ de tabernaculo corporis sanctissimæ ( sicuti quibus-  
 dam electis ostensum, habetur compertum ) locum in quo ipsius sancta  
 pausant ossa usque hodie eadem cœlestis claritas frequentare non cessat,  
 & sanctorum frequens visitatio Angelorum. Et hæc etiam eidem beatæ  
 memoriæ viro à Deo non mediocris est collata gratia, quæ nomen eius  
 non tantum per totam nostram *Scotiam* & omnium totius orbis insularum  
 maximam *Britanniam* clarè divulgari proueruit, ( in hæc parvâ &  
 extremâ Oceani Britannici commoratus insulâ ) sed etiam ad trigonam  
 usque Hispaniam & Gallias, & ultra Alpes Penninas Italianam sitam per-  
 venire, ipsam quoque Romanam Civitatem, quæ caput est omnium ci-  
 vitatum. Tantus & talis honor vocibilis eidem Sancto inter cætera di-  
 vine donationis munera condonatus scitur à Deo, qui se diligentes  
 amat; & eos qui eum magnificent laudibus, magis ac magis glorificans  
 immensis sublimat honoribus: qui est benedictus in sæcula.

*Admonitio Adamnani ad Scriptores.*

Oscro eos quicunque voluerint hos describere libellos, imò potius  
 adjuro per *Christum* iudicem sæculorum; ut postquam diligenter des-  
 criperint, conferant & emendent cum omni diligentia ad exemplar  
 unde extraxerunt: & hanc quoque adjurationem hoc in loco subscri-  
 bant.

## RESENSIO.

*De Adamnano plures agit Beda, libro 5. Histor. Ecclesiæ. cap. 16. & Ceolfridus  
 Abbas in Epistola ad Nattanum Pistorum regem, ibid. cap. 22. inæq; Matheus Florile-  
 gu: Anno gratiæ DCC I. floruit vir bonus & literatus Adamnopus presbyter &  
 Abbas monachorum qui erant in insulâ Hii. Hic missus ad Aldfridum regem gratiâ  
 legationis, cum videret ritus Ecclesiasticæ institutionis & observantiæ festi Paschalis,  
 continuè trahitur ad consensum. Qui cum domum redisset, cura it suos, qui erant  
 in insulâ Hii, ad callem perducere veritatis, nec valuit: navigansquè in Hiberniam,  
 penè omnes ad legitimum Paschæ tempus observandum induxit. Scripsit idem  
 Domini librum de loco Dominicæ nativitatis, passionis & ascensionis; situmque Ter-  
 ræ sanctæ mirabiliter descripsit. Editus est hic liber Ingolstadt anno 1619. à Jacobo*

HIBERNICARVM SYLLOGE.

*Gyetsera, titulo Adamanni Scotohiberni: ibidemque anno 1604. ab Henr. Canisso, (tomo 5. Antiqua lectionis) libri eiusdem tres de S. Columbâ. cuius operis Prologum paulo correctiorem ex MS. nostro hic damus: addito etiam, ex alio Cottroxiana Bibliotheca codice, Epilogo hæcæxi inedito; una cum Adjuratione qua transcriptores obstatatur auctor., \* Irenæi in libro mæi 67. s. d. os & Eusebij in Chronico exemplum imitatus.*

\* Apud Euseb. lib. 5. Histor. Ecclesiast. cap. 19. 20. & Hieronymum, de scriptor. Ecclesiast. in Irenæo.

BONIFACII Moguntini archiepiscopi, ad Zachariam Romanum Pontificem, de causâ *Aldeberti Galli & Clementis Scoti.*

EPIST. XV. Anno Christi 745.

*Excellentissimo Patri atque Apostolico Pontifici, & ex auctoritate sancti Petri, Principis Apostolorum magisterio frecto, Zacharia Papa, Bonifacius exiguus servus servorum Dei, optabilem in Christo charitatis salutem.*

POSTQUAM me ante annos propè triginta sub familiaritate & seruitio Apostolicæ sedis, anuente & iubente venerandæ memoriæ Antistite Apostolico Gregorio, anteriore voto constrinxî; quidquid mihi lætitiæ vel tristitiæ acciderat, Apostolico Pontifici solebam indicare, ut in lætis simul laudaremus Deum, & in tristibus eius consilio roborarer. Ita & nunc mihi liceat indicare, pietati vestræ supplico. Sicut scriptum est. *Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi; seniores tuos & dicent tibi.* Notum enim sit paternitati vestræ, quia postquàm indigno mihi mandastis in provinciâ Francorum (sicut & ipsi rogaverunt) sacerdotali Concilio & Synodali conventui præesse; multas injurias & persecutiones passus sum, maximè à falsis Sacerdotibus, ab adulteratis Presbyteris seu Diaconibus, & fornicarijs Clericis. Maximus tamen mihi labor fuit contra duos hæreticos pessimos, & publicos, & blasphemos contra Deum, & contra Catholicam fidem. Vnus qui dicitur *Aldebert*, natione generis *Gallus* est; alter qui dicitur *Clemens*, genere *Scotus* est: specie quidem diversi; sed pondere peccatorum pares.

Deut. 32. 7.

Contra istos obsecro Apostolicam auctoritatem vestram, quòd meam mediocritatem defendere & adjuvare, & per scripta vestra populum Francorum & Gallorum corrigere studeatis: ut hæreticorum fabulas & vana prodigia & signa præcursoris Antichristi non sectentur; sed ad canonica iura, & ad viam veræ doctrinæ convertantur. & ut per verbum vestrum isti hæretici duo mittantur in carcerem (si vobis justum esse videatur, cum vitam & doctrinam illorum vobis intima-vero) & nullus cum eis loquatur vel communionem habeat, ne fortè fermento doctrinæ illorum fermentatus aliquis pereat: sed segregati viuant, & iuxta dictum Apostoli, hujusmodi *traditi Satana in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* & juxta Evangelicum præceptum, *dum Ecclesiam non audierunt, sint nobis sicut Ethnici & Publicani: donec discant non blasphemare, nec scindere tunicam Christi.* Propter istos enim persecutiones, & inimicitias & maledictiones multo-

1. Cor. 5. 5.

Matth. 18.

17.

1. Tim. 1. 20.



rum populorum patior: & Ecclesia *Christi* impedimentum fidei & doctrinae rectae sustiner.

Dicunt enim de *Aldeberto*, quod eis sanctissimum Apostolum abstulisset; patronum, & oratorem, & virtutum factorem, & signorum ostensorem abstraxisset. Sed pietas vestra audiens vitam eius, iudicet *ex fructu*, utrum *vestimentis ovium indutus inius autem lupus rapax* fuisset, an non.

Math. 7.  
15. 16.

2. Tim. 3. 6.

In primæva enim ætate hypocrita fuit, dicens, quod sibi Angelus Domini, in specie hominis, de extremis finibus mundi, miræ & tamen incertæ sanctitatis reliquias attulisset; & exinde potuisset omnia, quæcunque poposcerit, à Deo impetrare: & tunc demùm per illam simulationem (sicut Apostolus Paulus prædixit) *penetravit* multorum domos & *capivas duxit post se mulierculas oneratas peccatis, qua ducebantur varijs desiderijs*, & multitudinem rusticorum dicentium, quod ipse esset vir Apostolica sanctitatis, & signa & prodigia multa fecisset. Deinde conduxit Episcopos indoctos, qui se, contra præcepta Canonum, absolutè ordinarunt. Tum demùm in tantam superbiam elatus est, ut se æquipararet Apostolis *Christi*: & dedignabatur in alicujus honore Apostolorum vel Martyrum Ecclesiam consecrare, & interrogavit, quid voluissent homines visitando limina sanctorum Apostolorum. Postea in proprio honore suo dedicavit oratoria (vel ut veriùs dicam, sordidavit) fecit cruciculas & oratoriola in campis, & ad fontes, vel ubicumque sibi visum fuit, & iussit ibi publicas orationes celebrare; donec multitudines populorum, spreteis cæteris Episcopis, & dimissis antiquis Ecclesijs, in talibus locis conventus celebrabant, dicentes: Merita sancti *Aldeberti* adjuvabunt nos. Ungulas suas & capillos dedit ad honorificandum, & portandum cum reliquijs sancti *Petri* Principis Apostolorum. Tum demùm, quod maximum scelus & blasphemia contra Deum esse videbatur, fecit. Veniente enim populo & prostrato ante pedes eius, & cupienti confiteri peccata sua, dixit. *Scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulta vestra; ideoque non est opus confiteri ea. Securi ergo & absoluti de peccatis vestris præteritis, revertimini ad domos vestras cum pace.* Et omnia quæcunque sanctum Evangelium hypocritas fecisse testatur, suo habitu, incessu, & moribus imitatus est.

Alter autem hæreticus, qui dicitur *Clemens*, contra Catholicam contendit Ecclesiam: Canones Ecclesiarum *Christi* abnegat, & refutat tractatus; & intellectus sanctorum Patrum, *Hieronimi*, *Augustini*, *Gregorij* ruculat. Synodalia iura spernens, proprio sensu affirmat, se, post duos filios sibi in adulterio natos [sub nomine Episcopi] esse posse legis Christianæ Episcopum. Iudaismum inducens, iudicat iustum esse Christianæ Episcopum. Iudaismum inducens, iudicat iustum esse Christiano ut, si voluerit, viduam fratris defuncti accipiat uxorem. Ipse etiam contra fidem sanctorum Patrum contendit, dicens; quod *Christus* filius Dei descendens ad inferos, omnes quos inferni carcer detinuit, inde liberasset, credulos & incredulos, laudatores Dei simul & cultores

cultores idolorum: & multa alia horribilia de *Prædeterminatione Dei* contra fidei Catholicæ affirmat. Qua propter de hoc quoque hæreticoprecor, ut per litteras vestras mandare curetis Duci *Carolomanno*, ut mitatur in custodiam; ut semina Satanae latius non seminet, ne foisitana una ovis morbida totum gregem polluat. Valere sanctitatem vestram, & prosperis profectibus gaudere in longitudinem dierum optamus.

## R E C E N S I O.

*Incerta est Actis Romana Synodi, anno 745. habita: in qua contra Clementem Scutum, hujusmodi lata est sententia. Clemens, qui per suam stultitiam sanctorum Patrum statuta respuit, vel omnia Synodalia acta; inferens etiam Christianis Judaismum, dum prædicat fratris defuncti accipere uxorem; insuper & Dominum Iesum Christum descendentem ad inferos, omnes pios & impios exinde prædicat abstraxisse: ab omni sit sacerdotali officio nudatus, & anathematis vinculo obligatus, pariterque Dei judicio condemnatus, vel omnis qui eius sacrilegis consenserit prædicationibus. Videantur de Adelberti & Clementis causa, Zachariæ Romani Pontificis Responsa, inter Bonifacij epistolæ à Serario editas, num. 138. 139 & 144.*

ZACHARIÆ Romani Pontificis, ad *Bonifacium*; de causâ EPIST.  
XVI.  
*Virgilij, Hiberni & Sidonij.*

*Reverendissimo & sanctissimo fratri Bonifacio Cœpiscopo, Zacharias  
servus servorum Dei.*

Anno Christi  
746.

**V**irgilius & Sidonius religiosi viri, apud *Baioariorum* provinciam degentes, suis nos litteris visiterunt: per quas intimaverunt, quod tua reverenda fraternitas eis injungeret Christianos denuò baptizare. Quod audientes, nimis sumus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, si habet, ut dictum est. Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem provinciâ sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens Latini eloquij, infringens linguam diceret; *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritu sancto*: ac per hoc tua reverenda fraternitas consideravit rebaptizare. Sed (sanctissime frater) si ille qui baptizavit, non errorem aut hæresim introducens, sed, pro solâ ignorantia, Romanæ locutionis infringendo linguam, (ut supra fati sumus) baptizans dixisset; non possumus consentire, ut denuò baptizentur. Quia, (quod tua bene compertum habet sancta fraternitas) quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, nullo modo rebaptizari debeat, sed per solam manus impositionem purgari debeat. Nam (sanctissime frater) si ita est, ut nobis relatum est, non ampliùs à te illis prædicetur hujusmodi; sed ut sancti Patres docent & prædicant, tua sanctitas studeat conservare. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater. Data Kalendis Iulij, imperante Domino piissimo Augusto Constantino, à Deo coronato, magno Imperatore anno viceffimo sexto, Imperij eius anno \* quarto, Indictione quartâ decimâ. \* sexto

## R E C E N S I O.

*A Iacobo Merlino Colonia anno 1530, cum Isidori Mercatoris Canonum & Epistolæ  
Vsserij Epist. Hibern.*

E

a Vid. supr. epist. 1. P. j.

b Habuit secum laboris & corona participē Episcopum comitantem de patria nomine Dobda, ad persolvendū Episcopale officium, inquit, Vita S. Virgilij descriptor, Eberhardi Salisburgensis Episcopi discipulus. Vide etiam Acta Rupertii primi Salisburgensis Episcopi, apud Surium, tom. 2. die 27. Martij.

rum Pontificiarum Collectione primum est edita: & deinde, tum in tamis Conciliorum tum alibi sæpius recusa. De Virgilio & socijs Thadæus, abbas Scotorum Ratisbona, ex Chronico foundationis Scotorum ista refert. Tempore eodem (quo de Hibernia venit Kilanus, cum duobus socijs suis Colonato & Tornano) venit honorabilis turma Sanctorum de Hiberniâ, videlicet S. Virgilius Episcopus, cum alijs septem Episcopis sanctis, multisque alijs socijs: qui proposuerunt Domini vestigia ac Sanctam terram corporeis oculis videre, a more reverendorum Patrum Scotorum, &c. S. Virgilius Salzburge Episcopus est factus. Cæteri eius Coepiscopi Salzburge in ministerio operis Dei remanserunt usque ad diem obitus eorum. Cæterum eorum socius, videlicet B. Lullus, apud Illminster gloriosis operibus intrepidus permansit. Et B. Declanus cum alijs duobus apud Frisingiam, duoque alij apud Rote beata ossa sua terræ commendaverunt: & S. Alto apud Altenminster. Et sic sanctus grex beatorum virorum divisim in diversis locis regna celestia sunt adepti. & Virgilius Blandius, in Iuvavensium sive Salisburgensium Episcoporum Catalogo. B. Virgilius, natione Hibernicus, ex nobili progenie ortus, à Stephano Papâ & Pipino Rege Francorum ad administrationem Episcopatus Iuvavienlis destinatus est: sed à Rege per duos ferè integros annos, propter eximiam eruditionem & sanctimoniam vitæ, retentus est, postea verò honorificè ad Ottilonem Boiorum tum temporis Ducem dimissus, ab eo Episcopatum accepit. Dissimulatâ autem consecratione, penè duorum annorum spatio, Pontificem secum habuit proprium Dobdan nomine, Græcum, qui ipsum secutus erat ex patriâ. Is interim ipsius munere suagebatur. Postulantibus deinde subditis, Boijsque Pontificibus, consecratus est anno Christi 767. XVII. Calendas Julij. Græco autem illi Magistro & Sacerdoti Dobdan tradidit Ottilio sedem Chiemensem: ubi aperuit ille Scholam, & agmina discipulorum quam plurima habuit. Mirarer verò ex Hibernia nostra hominem Græcum prodixisse, nisi scirem in agro Mideni apud Trimmenses, ad eam sacram extitisse, qua Græcæ Ecclesiæ nomen ad hunc usque diem retinet.

EIVSDEM ZACHARIÆ, ad Bonifacium; de alijs quaestionibus ab eodem Virgilio & Sampson Scoto motis.

Reverendissimo & sanctissimo fratri Bonifacio Coepiscopo, Zacharias servus servorum Dei.

Epist. XVII. Anno Christi 748.

Matth. 28. 19.

\* fort hoc

\*\* baptizari permittas

Scriptit reverenda fraternitas tua, reperisse te quendam presbyterum, genere Scotum, nomine Sampson, errantem à viâ veritatis; dicentem & affirmantem, sine mystericâ invocatione aut lavacro regenerationis posse fieri Catholicum Christianum, per Episcopalis manus impositionem. Hic autem qui hoc dicit, vacuus est Spiritu sancto, & alienus à gratiâ Christi, atque à consortio sacerdotali abijciendus. Quis enim nisi baptizetur, iuxta præceptum Domini, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & sic per manus impositionem consecratur, potest esse Catholicus? Hunc nequissimum virum, talia prædicantem, ab Ecclesiâ Dei sanctâ condemnatum expelle. Illos autem viros, qui ab hæreticis baptizati sunt, & dubietas tenet, quod in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti non sunt baptizati; inquisitâ rei veritate, si ab erroneis sacerdotibus baptizati sunt, hos \* sine dubio (iuxta prædecessoris nostri beatæ memoriæ Gregorij Papæ, & sacrorum Canonum traditum tibi mandatum) \*\* implere non omittas; ne in æternum pereant, sed potiùs Euangelicâ consecratione salventur.

Intimatum est etiam à sanctitate tuâ, quòd *Virgilius* ille (nescimus si dicatur Presbyter) malignatur adversum te, pro eo quòd confunde-  
batur à te, erroneum se esse à Catholicâ doctrinâ; immisiones faciens  
*Orilem* Duci *Baisariorum*, ut odium inter te & illum seminatet: aïens  
quòd & à nobis esset absolutus, unius defuncti ex quatuor illis Episco-  
pis, quos tua illic ordinavit fraternitas, diocesim obtinere. Quòd ne-  
quaquam verum est: quia *mentita est iniquitas sibi*. De perversâ autem  
& iniquâ doctrinâ, quam contra Deum & animam suam locutus est, si  
clarificatum fuerit ita eum confiteri, quòd alius mundus & alij homines  
sub terras sint; hunc accito Concilio, ab Ecclesiâ pelle sacerdotij ho-  
nore privatum. Attamen & nos scribentes prædicto Duci, evocatorias  
de prænominato *Virgilio* mittimus litteras; ut nobis præsentatus, &  
subtili indagazione requisitus, si erroneus fuerit inventus, canonicis  
sanctionibus condemnetur. Qui enim *seminant dolores, ipsi metunt eos*.  
Sic enim scriptum est: *Perversa cogitationes separant à Deo; probata au-  
tem virtus corripit incipientes.*

Psal. 27. 12.

Iob. 4. 8.  
Sapient. 1. 3.

Pro *Sidonio* autem & *Virgilio* supradicto Presbyteris, quòd scripsit  
sanctitas tua, agnovimus. Et illis quidem, ut condecebat, comminan-  
do scripsimus: tuæ autem fraternitati plùs credulitas quàm illis admit-  
tetur. Si autem placuerit Deo, vitâ comite, sedi Apostolicæ eos, missis  
Apostolicis litteris (ut prælatum est) evocabimus. Docuisti enim eos,  
& non susceperunt: & factum est in illis, sicut scriptum est in libro Sa-  
pientie. *Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam, Arcem, & sa-  
lem, & massam ferri facilius est pertare, quàm huminem imprudentem, &  
fatuum, & impium. Quoniam qui mincratur corde, cogitat inania; & vir  
imprudens & errans cogitat stulta.* Non ergo ad iracundiam provocetur  
cor tuum, frater: sed in patientiâ tuâ ubi tales repereris, *admone, obse-  
ra, increpa*; ut *convertantur ab errore ad viam veritatis*. Et si conversi  
fuerint, *sa'vasi animas eorum*; si vero in duritiâ permanferint, mercedem  
ministerij tui non perdes: illos autem, iuxta Apostoli vocem,  
*devota.*

Ecclesiast.  
12. vers. 7.  
& 18.Ecclesiast.  
16. 23.2. Tim. 4. 2.  
Iacob. 5.  
19. 20.

Tit. 3. 10.

Deus te incolumem custodiat, reverentissime & sanctissime frater.  
Data Kalendis Maij, imperante Domino piissimo Augusto *Constantino*,  
à Deo coronato, magno Imperatore, pacifico; Imperij anno XXIX.  
Patriciatu eius anno VII. Indictione primâ.

## RECENSIO.

*Hæc, una cum duabus epistolis præcedentibus, non solum in Bonifacianarum episto-  
larum habetur volumine. sed etiam in Bonifacij Vita ab Othlono descripta, atque à  
Surio (tom. 3. die 5. Junij) & Serario (lib. 3. rer. Moguntiac.) publicata. Quas edi-  
tiones, & inter se, & cum Romana Pontificiarum Epistolarum editione contulimus. Ne-  
que hæc tamen epistolam, qua longiuscula erat integram hic descripsimus: sed qua  
ad Sampsonis & Virgilij causam pertinebant inde excerpta dedimus. Extat vita Vir-  
gilij nostri, Carinthiæ Apostoli, à quodam Eberhardi Salisburgensis episcopi discipulo  
litteris consignata, & ab Henr. Canisio in Antiqua litionis tomis edita: cuius hoc ini-  
tium. Baisimus Virgilius in Hiberniâ insulâde nobili oris prosapia, litterarum flu-  
dijs ita animum applicavit, ut inter doctos sui temporis atque Climatis, doctissimus  
haberi potuisset. Atque inde nata est hæc, qua inter illum & Bonifacium intercessit.*



de Antipodibus controversia: de qua videndi rerum Boicarum scriptores, To. Aventinus M. Velferus Litterarum vero Virgilij monumentum hodie nullum superest: si Glossarium forte exceperis, à Goldasto, in Notis ad Columbanum (p. 83, 152. & 155. citatum.

EPIST.  
XVIII.

ALBINI Magistri, ad Colcum lectorem in Scotia.

Anno Christi 795. *Benedicto magistro & pio patri Colcu, Alcuine humilis Levita salutem.*

**A**VDITA sanitate & prosperitate paternitatis vestrae, totis (ut fateor) gavisus sum visceribus. Et quia curiosum te nostri itineris putavi, vel rerum in mundo nuper gestarum; per hos rusticitatis meae apices, tuae providentiae innotescere curavi, seu audita seu visa. Primò sciat dilectio tua, quòd (miserante Deo) sancta eius Ecclesia in partibus Europae pacem habet, proficit, & crescit. Nam\* *antiqui Saxones* & omnes *Frisorum* populi, instante Rege *Carolo* (alios praemijs, & alios minis sollicitante (ad fidem Christi conversi sunt. Sed anno transacto idem Rex, cum exercitu irruit super *Sclavos*, quos nos *Dionidos* dicimus, eosque subegit suae ditioni. *Graci* verò tertio anno cum classe venerunt in *Italiam*, & à ducibus Regis praefati victi fugerunt ad naves: quatuor millia ex illis occisi, & mille captivi feruntur. Similiter & *Avari*, quos nos *Hunos*, dicimus, exarserunt in *Italiam*, & à Christianis superati domum cum opprobrio reversi sunt: nec non & super *Baugariam* irruerunt; qui & ipsi ab exercitu Christiano superati & dispersi sunt. Etiam & ejusdem Christianissimi Regis duces & Tribuni multam partem *Hispaniae* tulerunt à *Saracenis*, quasi trecenta milia in longum per maritima. Sed heu (proh dolor!) quòd iidem maledicti *Saraceni* (qui & *Aggareni*) tota dominantur *Africa* & *Asia* majore, maximà ex parte. De quorum egressione, tuae venerandae prudentiae dudum (ut aestimo) scripsi.

\* id est, *VVestphali.*

De cetero (Pater sanctissime) sciat reverentia tua, quòd ego filius tuus, & Ioseph vernaculus tuus (Deo miserante) sani sumus: & tui amici toti, qui apud nos sunt, in prosperitate Deo serviunt. Sed nescio quid de nobis venturum sit. Aliquid enim dissensionis, Diabolico fomento inflammante, nuper inter Regem *Carolum* & Regem *Offan* exortum est: Ita ut utrinque navigatio interdicta negotiantibus cesset. Sunt qui dicunt nos pro pace esse in illas partes mittendos: sed obsecro ut vestris sacrosanctis orationibus manentes vel euntes muniamur. Nescio quid peccavi, quia tuae Paternitatis dulcissimas litteras multo tempore non merui videre: tamen pernecessarias orationes sanctitatis tuae me quotidie sentire credo.

\* al. utilitatem honoris Dei.

Misi charitati tuae aliquid de oleo, quod vix modò in Britannia invenitur; ut dispensares per loca necessaria Episcoporum, ad\* utilitatem hominum vel honorem Dei. Misi quoque quinquaginta siclos fratribus de eleemosyna *Caroli* Regis: (obsecro ut pro eo oretis:) & de mea eleemosyna quinquaginta siclos: & ad Australes fratres *Baldhuinga*, tringinta siclos de eleemosyna Regis, & triginta de eleemo-

HIBERNICARVM SYLLOGE.

37

synâ meâ, & viginti siclos de eleemosynâ patris familiæ *Areida*, & viginti de eleemosynâ meâ; & per singulos *Anachotitas* tres siclos de puro argento: ut illi omnes orent pro me, & pro Domino Rege *Carolo*, ut Deus illum conservet ad tutelam sanctæ suæ Ecclesiæ, & ad laudem & gloriam sui nominis. Exaudiat vos omnipotens Deus pro sanctâ suâ Ecclesiâ intercedentes; & proficere faciat in salutis æternæ prosperitate.

RECENSIO.

*Pars huius epistolæ à Guilielmo Malmesburiensi, libro 1. de Gestis Regum Anglorum cap. 4. produciitur: sed integram ex duobus antiquissimis Cottoniana Bibliotheca Codicibus descripsimus, in quibus & alia ad Iosephum illum habetur, cuius in hac epistola facta est mentio: ubi de Colco, vel Coicano, ita meminit. Sanus est magister vester Colcu, & sani amici tui, qui apud nos sunt.*

CLAUDII Scoti Presbyteri, ad Iustum Abbatem.

EPIST.  
XIX.

*Ex Prefatione Commentariorum in Matthæum.*

Anno Christi  
815.

**A**NNO octingentesimo decimo quinto Incarnationis Salvatoris Iesu Christi, postquam pius ac mitissimus Princeps, S. Ecclesiæ Catholicæ filius *Iudovicus*, anno secundo Imperij sui, cœlesti fultus auxilio, adversus barbaras nationes movisset exercitum; atque abeunte & discedente tuâ paternitate ex palatio jam dicti Principis ad charum dilectumq; tibi semper tui monasterij portum: injunxisti mihi, ut aliquod dignum memoriæ opusculum in expositione Evangelij ad legendum dirigerem Fratribus monasterij vestri. &c. Ad quoscunque verò sive per hoc sive per aliud quodcumque opusculum notitia nominis mei pervenerit; intercessionem peccatorum meorum supplex ab omnibus exquiro: subnixâ prece deposcens, ut ita à misericordissimo Domino nostro flagitetis, ut omnibus delictis meis atque peccatis (omnibus opitulantibus vobis) consuetudinariâ clementiâ & copiosâ bonitate deletis, et si non ad idem pramium, saltem ad eundem vos portum quietis \* videat pervenire.

\* fort. nos  
p. q. velit  
pervenire.

RECENSIO.

*De eo Bostonus Buriensis, in Scriptorum Catalogo. Claudius monachus, & discipulus sancti Bedæ secundum quosdam, floruit circa annum Christi 815. & scripsit ex opusculis Origenis, Hieronymi, Ambrosij, Hilarij, Augustini, Rufini, Ioannis, Fulgentij, Leonis, Maximi, Gregorij & Bedæ, super Evangelium Matthæi lib. 3. Eum annum, & istos auctores, in Commentariorum horum Prefatione auctor ipse commemorat: cuius ea tantum pars hic est adscripta, quam ad finem huiusmodi anni 815. in tomi 9. Appendice, ex Vallicellana urbis Romana bibliotheca, attexuit Casar Baronius. Nos verò integrum hoc opus cum alibi vidimus, tum Cantabrigia, in Collegij Benedictini & Aula Pembrochiana Bibliothecis.*

EPIST.  
XX.

Eiusdem CLAVDII, ad Druſterannum Abbatem.

*Praefatio Commentariorum in epistolam ad Galatas.**Domino piſſimo, & in Chriſto ſummo mihi honore ſingulariter excolendo,  
Druſteranno Abbati, Claudius peccator.*

**T**Res, ni fallor, & eo ampliùs iam pertranſeunt tempore anni, quòd me adhuc in Alverni ceſpitis arvo, in palatio pij principis Domini Ludovici ( tunc Regis; modò Imperatoris ) detentum ſocordiã ſenſus mei, tuã fervidã dilectione adorſus es excitare, ut aliquem fructuoſum laborem in Epistolis magiſtri Gentium adſumerem Apoſtoli Pauli. Sed quia laboribus & turbinibus mundi depreſſus, haecenus parere iuſſioni tuã nequivi; modò (largiente Deo) in iſto Quadrageſimã tempore epistolam beati iam dicti Apoſtoli Pauli ad Galatas, ex tractatibus beatorum Augustini & Hieronymi Patrum, permixtis procuravi ordinare ſententijs. In quibus tractatibus cùm ad congruentem expoſitionem multa deſſe cernebam, verti me ad alios libros praefati iam patris Augustini; & exinde eam, quã in illis deerat tractatibus, explere ſtudii expoſitionem. Nonnulla etiam, ut mihi viſum eſt, infra illorum locutionem, mea ſtudii conjungere verba; quã utramque expoſitionem abſque ſeiſſione conjungerent, & legentis exercerent ſenſum, & ſatiſdium facerent evitare. Hanc interim, quaſi manubias quaſdam, tuã ovens dirigere ſtudeo ſancitati: ut quoties eam manu tenueris & legeris, mei memor eſſe digneris; & in unum conjungat immenſa ubique praefens Chriſti charitas, quos ſpatia terrarum diſſociant. De cæteris verò Epistolis, iam multa in manibus noſtris tenentur excepta: ad quas ( ſi Dominus voverit, & vitam atque ſalutem conceſſerit, orantibus vobis pro nobis ) ad expoſitionem illarum quantociùs potero, accedere procurabo. Pius & miſericors Deus, reverendam mihi beatitudinem tuam, ad proſectum & ornatum Eccleſiæ ſuæ, & annis multiplicare dignetur, & meritis. Vale in Domino, vir & Dei, memento mei.

## RECENSIO.

\* Claudius Habentur Claudij in epistolam Pauli Commentarij in Bibliotheca Cœnebij Caſſinenſis ſuper Leviticum, ( ex dono Theobaldi Abbatis, ut ex Chronico Caſſinenſi Leonis Oſſienſis, lib. 2. cap. 53. intelligitur ) & S. Germani in urbe Antiffodoro; unde enarrationem epistolam ad Galatas, cui hac praefixa eſt Praefatio, deſcripſit Petrus Peſſelierns, & Pariſijs Anno 1542. inde lucem emiſit. Eiuſdem in lib. os Moſis, iudicum & Ruth Commentarij ) quorum meminit Trithemius ) an alicubi adhuc extant, neſcio: ex libris in Leviticum, has tantum ſententias citatus invenio. \* Sicut qui ſanus ferè totus, pro parte aliqua leproſus, remouetur à tabernaculo ut immundus: ſic qui Legis præcepta tranſgreditur ex aliqua parte, nihil ex custodia mandati iuvatur alterius; quia tranſgreſſor unius reus eſt omnium. Item, Chriſtus in Cruce carnem ſuam fecit nobis eſibilem. Niſi enim fuiſſet crucifixus, ſacrificium corporis eius minimè comederetur. Comeditur autem nunc in memoria Dominicæ paſſionis. Crucem tamen præveniens, in Cœnã Apoſtolorum ſeipſum immolavit, qui poſt reſurrectionem in cœli Tabernaculum ſuum ſanguinem introduxit, portans cicatrices paſſionum.



GILDÆ, ad Rabanum monachum,  
*Prefatio in librum de Computo.*

EP. ST.  
 XXI.

*Dilecto fratri Rabano monacho, Gildas peccator in Christo salutem.*

Anno Christi  
 820.

**L**egimus scriptum in Proverbijs; *Meliorē sapientiam cunctis pretiosissimis; & omne desiderabile ei non potest comparari.* Ideoque (frater dilectissime) gratias ago Deo, qui tibi eius amorem inspiravit, cuius possessio mundi divitias contemnit; teque reddit suo fulgore decoratum, & proximis tuis profectuosum. Petebas ergo ut quibusdam de Computo propositionibus, earumque minùs perfectis responsionibus, quas mihi protuleras nescio à quibus confectas, stylum adhiberem; easque tibi lucidiores redderem. Feci quantum potui, sed non eo ordine quo ibi positas repperi: quia confusa series vim cognoscendi abstulit, & tedium lectionis invexit. Pleraque ergo quæ mihi magis necessaria videbantur addidi; & ordinem in ipsis rebus disponere contendi. Inde quoque evenit, dum brevitati studerem, & tamen ipsarum rerum veritatem patefacere vellem; quòd unius libri quantitatem devitare non possem. Composui quidem ex numero & temporum articulis quendam Dialogum, & nomini tuo ipsum dicavi. In quo \* necessaria mihi videbantur interrogandi,\* *Discipuli* nomine, & quæ respondendi \* *Magistri* vocabulo prænotavi, & non hæc tantummodo proprijs rationibus, sed etiam ex antiquorum dictis, & sanctorum Patrum sententijs, enotare curavi. Ideo (frater charissime) hæc legens, scias me non difficultati verborum aut obscuritati sententiarum studuisse, immo magis plana quæque faciliaque collegisse, & quæ ex proprio inserui, ad dilucidandam ipsam veritatem laborasse, magis quàm aliorum imperitiæ insultasse. Nulli enim me præfero; sed benè quærentibus, & fidem Catholicam ritè servantibus, pro modulo meo comitem spondeo, ac iuniorē subdo: quod mihi divina gratia concedat, ut quamdiù vivam servorum Christi servitor, & benè docentium auditor, & benè laborantium aliquantulus adjutor existam. Dilectionem tuam majestas Christi nunc & in perpetuum conservare dignetur, sancte frater. Memorem te nostri obsecro, ut quanto citiùs possis exemplar istius libri, quod tibi ad rescribendum direxi, absolvas & mihi remittas.

Proverb. 8.  
 11.

\* fort. add.  
 quæ  
 \* fort. Interroganda  
 & respondenda.

RECENSIO.

*Habetur Manuscript. in Cottoniana Bibliotheca. liber eius de Computo, 29. Capitulum continens: præfixa Prefatione hac ad Rabanum; quem ex monacho abbate Fuldensi post annum salutis 820. factum fuisse constat. Illud vero tempus ætati Gildæ illius quæriti quadrat, quem genitorem Hiberniensem Scotum habuisse scribit Balus; & studuisse in finibus Scotorum Hiberniensium ex Lalando addit, quanquam Historicum opus, quod ab utroque illi tribuitur, illud ipsum planè est quod in veterioribus exemplaribus Ninio Britanno adscribitur.*



EPIST.  
XXII.

IOANNIS Scoti *Erigenæ*, ad *Carolvm* Calvum,  
*Francorum Regem.*

Anno Christi  
858.

*In Areopagitica, Latinè à se conversa, Carmen.*

\* *λευβωδ*,  
liberatio-  
nem quæ  
vino fit.  
\*\* fort.  
*spendo* à  
Græco  
*σπένδο*,  
quod *libare*  
significat.

**H** Anc \* libam, sacro Græcorum nectare fartam,  
Advena *Ioannes* \*\* spondo meo *Carolo*.  
Maxime *Francigenum*, cui regia stemmata fulgent;  
Munera votiferi sint tibi grata tui.  
Vos qui *Romuleas* nescitis temnere technas;  
Attica ne pigeat sumere gymnasia.  
Quorum si quædam per me scintilla relucet  
Vsbis *Aufonijs*, si liber aspiciate.  
Mollestum si non nostrum munire laborem;  
Firmetur vestri pondere iudicij.  
Si quid nodosum durumve notetur in ipso;  
Parcite, *Cecropidis* Attica tela sequor.  
At si mendosus declinet tramite recto;  
Mellifluo vestro fame cortigite.  
Quòd si quorundam mordetur dente feroci;  
Hoc leve, namque meo contigit *Hieronymo*.  
Vt verò stabilis maneat fundamine firmo;  
Regali stathmo figere sufficiet.  
Crediderim multos tangentum summa sophiæ  
Non despecturos donula nostra fore.  
Sudorisque gravis tentabunt carpere fructum:  
Forfan virtutem villia verba tenent.  
Sæpè solent spinis redolentes crescere flores;  
Nodosæ vitis sumitur uva ferax.

#### RECENSIO.

*De hoc, Guilielmus Malmesburiensis lib. 2. de gestis regum Anglorum, cap. 4. Hoc tempore creditur fuisse Ioannes Scotus, vir perspicacis ingenij & multæ facundiæ: qui dudum concrepantibus undique bellorum fragoribus, in Franciam ad Carolum Calvum transierat; cuius rogatu Hierarchiam Dionysij Areopagitæ in Latinum de Græco verbum è verbo transtulit. Et Nicolaus I. in epistola ad ipsum Carolum. Relatum est Apostolatu nostro, quòd Opus B. Dionysij Areopagitæ, quod de Divinis nominibus, vel Cælestibus ordinibus, Græco descripsit eloquio, quidam vir Ioannes, genere Scotus, nuper in Latinum transtulerit. Huic verò translationi præmissum est hoc ad regem Carolum Carmen: cuius primum distichon (quod tituli vice reliquis versibus super scriptum fuisse videtur) vir doctus ita legendum censuit:*

Hunc librum, sacro Græcorum nectare fartum,  
Advena *Ioannes* \* pando meo *Carolo*.

\* vel man-  
do.

Et paulò post:

Parcite *Cecropidis*; Attica vela sequor.

Ejusdem

Ejusdem IOANNIS, ad eundem Carolum.  
In eadem Arcopagitica Præfatio.

EPIT.  
XXIII.

Gloriosissimo Catholicorum Regum Carolo, Ioannes extremus sophia  
studentium, salutem.

Circa an-  
num 838.

Valde quidem admiranda, dignisque virtutum laudibus est exag-  
geranda, Catholicorum virorum religiosissima sollicitudo: qui  
dum vitæ humanæ periculosis exagitari videntur ærumnis, fixa tamen  
mentis intentione divinarum rerum laboriosis investigationibus pur-  
gati, fructuosis inventionibus illuminati, perpetuis immutabilibusque  
veritatis atque divini amoris contemplationibus perfecti; non inter  
mortales habitare, sed in cœlestem conversationem mutati penitus esse  
judicandi sunt. In quorum numero vos esse constitutos, nullus rectè  
vestros affectus intuentium dubitare permittitur, piissime gloriosissime-  
que Regum, quandoquidem civilium (plusque quàm civilium) bello-  
rum maximis assiduisque perturbationibus, & insuper etiam paganarum  
gentium barbaricis incurribus Christianorum regnum passim invaden-  
tibus allisi; non tamen regalis animi stabilitate dejecti (quasi quoddam  
immobile saxum Neptuni limite naturaliter defixum, crispissimos va-  
lidissimosque carularum tumultus stabili duraque fronte repellens)  
toto vestræ mentis intuitu totaque cordis devotione sanctarum Scrip-  
turarum secreta (ducente Deo & rationis lumine) inuestigatis, investi-  
gantibusque diligitis. Et non solum *Latialis* eloquij maximos sanctissimosque  
autores perquiritis; verum etiam in augmentum ædificationis Catho-  
licæ fidei, novis modernisque editionibus, in laudem Christiani dog-  
matis, *Hellados* Patres pio affectu addidistis consulere.

Hinc est quòd & ingenioli nostri parvitatem non dedignati estis im-  
pellere, nec nos velut otiosos inertiaeque somno sopitos perpeffi estis  
dormire: ne dum *Hesperis* solummodò apicibus studium impendimus,  
ad purissimos copiosissimosque *Græcæ* latices recurrere, haustumque inde  
sumere non valeremus. Iustionibus itaque vestris neque volentes, neque  
valètes obistere; rudes admodum tirones adhuc *Helladicorum* studiorum  
fatemur, (quid enim pudeat nos fateri vestra mansuetudini?) ultra vires  
nostras (ipso tamen Duce, qui est lux mentium, & illuminat abscondi-  
ta tenebrarum) libros quatuor sancti patris *Dionysii Arcopagite* Episco-  
pi Athenarum (quos scripsit ad *Timotheum* Episcopum Ephesiorum)  
& decem Epistolas eiusdem, de Græco in Latinum transtulimus. Opus  
valdè (ut opinamur) anfractuosum, longeque à modernis sensibus re-  
motum, multis inivium, paucisque apertum; non solum propter anti-  
quitatem, verum etiam cœlestium altitudinem mysteriorum.

Fertur namque præfatus *Dionysius* fuisse discipulus atque adjutor  
*Pauli* Apostoli, à quo Atheniensem constitutus est Episcopus. Cuius  
& *Lucas* commemorat in Actibus Apostolorum, & *Dionysius* Episcopus Act. 17. 34.

Vflerij Epist. Hibern.

F

Corinthi vir antiquus: beatus quoque *Polycarpus* in Epistolâ ad Ecclesiam Athenarum, *Eusebius* item *Pamphili* in Ecclesiasticâ historiâ; nec non etiam sanctus Papa *Gregorius* in homeliâ suâ, ubi breviter Angelorum ordines exposuit. Hunc eundem quoque, non præfati viri, sed alij moderni temporis, asserunt (quantum Vita eius à fidelibus viris tradita testatur) temporibus Papæ *Clementis* (successoris videlicet *Petri* Apostoli) Romam venisse, & ab eo prædicandi Euangelij gratiâ in partes Galliarum directum fuisse; & martyrum gloriâ coronatum fuisse, cum beatissimis suis consortibus, *Rustico* scilicet atque *Eleutherio*.

Hæc igitur nostra qualiscumque translatio, non quidem proluxa indiget (ut arbitror) apologiâ; cum omnibus eius æmulis (quicumque & qualescunque sint) facillimâ unâ responsione possimus occurrere: Vestra videlicet Celstrudini neque potuisse, neque debuisse non obedire. Si quis autem nimis tardæ aut nimis inusitatae redarguerit elocutionis: attendat non me tantum sed & se ipsum nihil posse plus accipere, quàm quod ipse distribuit. *qui dividit singulis propria provi vult.* Sin vero obscuram minusque apertam prædictæ interpretationis seriem iudicaverit; videat me operis huius interpretem esse, non expositorem. ubi valdè pertimesco, a ne fortè culpam *fides interpretis* incurram. At si aut superflua quædam superadiecta esse, aut de integritate Græcæ constructionis quædam deesse arbitratus fuerit: recurrat ad codicem Græcum, unde ego interpretatus sum; ubi fortasse inveniet itâ ne \*esse, nec ne. Hoc tamen mihi idoneum fore arbitratus sum; ommissis aliorum conjecturis, unius solius arbitrio succumbere, cui oportet me obtemperare.

1. Cor. 12.  
21.

\* fort. sit

Sanctus ergo *Dionysius* (ut prædiximus) *Areopagita*, ex vico videlicet *Martis* denominatus, (*Ares* enim à Græcis bellum vocatur: ) primis iuventutis suæ floribus Academiæ studiis eruditus; deinde diuino atque ineffabili miraculo Solatis Eclypseos, quæ facta est confixo Domino nostro *Iesu Christo* Crucis patibulo commotus. ipse siquidem (ut in quadam Epistolarum suarum commemorat) dum esset iuxta *Heliopolim* cum *Polycarpo* Episcopo: cæterisque qui tunc aderant, divinâ procurante providentiâ, mirabilem in modum conspexerat Lunam Soli subeuntem, ac per hoc Solem defecisse. Moxque sanctissimum virum, Apostolorum discipulum, *Hierotheum* videlicet episcopum, secutus. cuius in tertio huius Operis libro mentionem facit, eundemque Magistrum suum venerabilem nominat, cæterisque tunc temporis Coëpiscopis post Apostolos in Theologiâ præferre non dubitat: cum quo, multisque alijs sanctis in unum convenientibus, *Christum* post resurrectionem corporaliter est contemplatus. Aderantque ibi, (ut ipse ait) *Iacobus* frater Domini, & *Petrus* vertex Apostolorum. Talibus ac tantis admonitus, divinarumque Scripturarum mysteriis illuminatus, scripsit hos libros, horrante atque postulante sancto *Timotheo*, alijsque quorum nomina in processu huius operis sæpissimè declarat, doctrinamque breviter insinuat. Sed præsentis Operis intentionem, breviter intimare

a Vid. Henr. Stephani Schediasm. lib. 1. cap. 19.

necessarium duximus; quo facilius Lector studiosus ingrediatur.

PRIMVS itaque liber, qui inscribitur *de Cœlesti Hierarchia* (quod nos, non verbum sed sensum experimentes, possumus Latine dicere, *de Cœlesti Pontificatu*, seu *de Cœlesti summo sacerdotio*) novem cœlestium virtutum dispositiones enumerat, ordinat, segregat, conjungit; earumque sanctis theologis divinitus manifestatas symbolicas (hoc est, significativas imaginationes mysticas) luculenter exponit. Ordinat quidem in superiores & medias & ultimas. Segregat verò in ternas ter Hierarchias. Conjungit primas ultimis, & ultimas primis, per medias; mirabili extremitatum & mediatatum ratione coadunans. Dissimilium quoque formarum descriptiones in Prophetis visionibus, plus quàm similibus, cœlestes substantias expressiùs insinuare confirmat. Nullamque visibilibus seu invisibilibus naturarum, ab initio intellectualis creatura usque ad extremum terrenumque vermiculum, nominari; ex quâ divina Theologia quandam similitudinem ad significandam omnium rerum causam (DEVM videlicet) non introducat.

SECUNDVS verò, cui est inscriptio *de Ecclesiasticâ Hierarchiâ*, humanæ naturæ, (Salvatoris nostri sanguine redemptæ (unitatem denunciat, & similitudinem cœlestis sacerdotij, ( quantum possibile est ) mortalibus adhuc ordinatam: cujus summus Pontifex ipse est qui eam sibi per gratiam suam coaptavit; qui etiam totius Hierarchiæ, cœlestium quidem & terrestrium, principium est, & medium, & finis ad quem omnia referuntur. Hæc itaque nostra Hierarchia instar cœlestis tripartita est; in tres scilicet Hierarchias. Quarum *prima* (temporali quidem ordinae, ultima verò dignitate) legale sit Sacerdotium; quod in varijs valdeque obscuris symbolis per legislatorem *Moysem* planè carnali adhuc populo, literæque non spiritui servienti, distributum est: cujus maximus character erat Tabernaculum illud in Arabico monte figuratè monstratum. *Secunda* verò, quæ est media, Sacerdotium quod nunc est: Ecclesiam dico novi Testamenti, sub gratiâ quidem constitutam, partim symbolis visibilium sacramentorum dispositam, partim verò veritatis contemplatione perfectam; & est finis præteritæ primæ, initium verò futuræ Hierarchiæ: quæ est *tertia*, jam ex parte inchoata in primitijs contemplationis, perficienda verò post gloriam futuræ resurrectionis; quando, visibilium sacramentorum velaminibus sublatis, ipsam veritatem perspicuâ claritate contemplabimur. Ideoque præsens Ecclesiastica Hierarchia (ut diximus) media est inter legalem præteritam & cœlestem futuram: quoniam non solum æternarum rerum symbola peragit & visibiliter considerat, ut legalis præterita; sed & spirituales intelligentiam investigare invenireque non cessat, ut cœlestis futura.

TERTIVS dehinc continet divinarum nominationum virtutes, ideoque *de Divinis nominibus* vocitatur; quia in eo secretissima subtilissimaque referantur mysteria de Unitate & Trinitate divinæ essentia: hoc est, quæ nomina discretam quæ unitam insinuant Deitatem; quæ per se inhumanato Filio conveniunt. quæ sit unius solius omnium causa in primordiales causas prima processio, ac per eas iterum à summo usque

deorsum multiplex theophania; in genera quidē, in species, numerosq; visibilibus & invisibilibus naturarum: ubi supernaturali contemplatione docere perspicitur, plus similia esse & appropinquare Deo ea quę nō sunt quā quę sunt ( non tamen privatione substantiæ, sed superexcellentiā naturæ ) quid distat inter causas & causativas; malum nihil esse, neque in rerum naturā subsistere, neque substantiæ, neque virtuti, neque operationi nocere: ea quoque quę per privationem de Deo dicuntur, per excellentiam in ipso intelligenda esse.

QVARTVS de *Mysticā Theologiā*, quantum coarctior sit cæteris in sermonibus, tantum largior in sensibus. Vnde & in duas maximas Logicę disciplinæ dividitur partes; *cataphaticam* planē & *apophaticam*; id est, in esse, & non esse. ubi analyticę artis regulis utitur; & nos præclarissimē commonet, per privationem omnium quę dici seu intelligi possunt, oportere ad veritatem quę est causa omnium quę ab eā, & per eam, & in eā, & ad eam, & propter eam creata sunt, per excellentiam essentia recurrere.

L V M I N E sidereo *Dionysius* auxit Athenas,  
*Areopagites*, magnificusque *sophos*.

Primò commotus *Phœbum* subeunte *a Selenā*,  
Tempore quo *b* stauo fixus erat *Dominus*.

Mox ut conversus, mirā stupefactus *eclipsi*;  
Consequitur gaudens *Hieroshea* ducem.

Qui mox edoctus: præclarus namque magister  
*c* Pneumatis excelsi fonte renatus erat.

Nec mora, perfulgens cœlestis luce *d* *sophiæ*,  
*Attitas* edocuit, de quibus ortus adest.

Namque fecunt *Paulum*, qui *Christum* sparsit in orbem,  
Ipsi felices imposuisse manus.

Ast mox perfectus *Doctores* *e* *symmachus* instans,  
Rexit *Cecropidas* pervigil *f* *archieus*.

Alta dehinc volitans *Paulum* supra astra secutus,  
*Empyre*i cœli tertia regna videt.

Suscipit ad *Scraphin* primos, sanctosque *Cherubin*,  
*Ethereos*que *thronos*, quò sedet ipse *Deus*.

Post hos, *virtutes*, *dominatus*, atque *potentes*;  
Agminibus sacris enitet ordo sequens.

Αρχων *g*  
Mentibus *h* ouraniis tertia *i* taxis inest.

Hos igitur numeros terno ter limite septos,  
Prædicti Patris mystica dicta docent.

### RECENSIO.

Hæc etiam Epistola præmissa est libris S. Dionysij Arcopagite quos Iohannes Eri- gena transtulit de Græco in Latinum, jubente ac postulante gloriosissimo rege Carolo, Ludovici Imperatoris filio. ut habetur in libro Manuscript. quo hic sum usus; Collegij S. Trinitatis Cantabrigiæ. Iohannis quoque nostri putantur esse Excerpta illa, quæ inter

a σελήνη,  
Luna.  
b σταυρῶν,  
Cruci.

c πνεύ-  
ματος,  
Spiritus.  
d σοφίας,  
sapientia.

ε συμμάχος  
Commilitio.  
φ αρχιεπίσκοπος,  
Pontifex.

g Græcus  
iste versicu-  
lus in MS.  
exemplari  
ab imperito  
librario ita  
erat deprava-  
tus; ut à  
nobis om-  
ninò resti-  
tui non  
posset.

h ἁγίων,  
celestibus.  
i τάξις,  
ordo.

*Macrobij scripta feruntur De differentijs & societibus Græci Latiniq; verbi, hæc ad finem notatione adjecta. Explicit deploratio de libro Ambrosij Macrobij Theodosij, quam Iohannes carperat ad discendas Græcorum verborum regulas. Atque ita etiam censuit P. Pithæus V. CL. esse hunc Iohannem Scotum, virum illum Græcæ Latinaq; linguæ peritissimum, qui Carolo imperatori cœtænavus & Dionysij libros Latinos fecit: quemadmodum in suis ad hunc libellum notulis monuit Iohannes Opsopæus. Refert Io. Balsus (Centur. .i. scriptor. Britann. cap. 24.) & eum secuti alij, transfuisse eum in tres linguas, scilicet Chaldaicam, Arabicam & Latinam, Aristotelis Moralia de secretis secretorum, seu recto regimine Principum. Latini scripti duo penes me sunt Manuscript. exemplaria: quod posterioris alicujus Iohannis opus esse, mihi non est dubium.*

ANASTASII Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarij, ad eundem EPIST.  
Regem Carolum: de iisdem Areopagiticis, & Iohanne Scoto XXIV.  
corum Interprete.

**I**Nter cætera studia, quæ tam laudabilis actio quàm saluberrima com-  
monitio, quin etiam odorifera volans opinio de virtutum ac mo-  
rum quantitate tuorum (ô Dictator inclyte) mortalium mentes exci-  
tat, & ad effodiendum sapientiæ hortatur velut thesauros; illud quo-  
que non mediocriter est admiratione stupendum, quòd non solum *La-  
tinos* Patres, sed & *Græcos* rimari non cessas, & Romanâ linguâ polle-  
ntes Pelasgarum facis rerum non expertes. Tu quippe facis, qui ad facien-  
dum suscitatus & hortaris: quia & nos sæpè magnam domum fecisse dici-  
mur non tamen manibus, sed affatibus. Beatus itaque *Areopagita Dio-  
nysius* Antheniensis antistes (quem inter cætera constat industriâ tuâ,  
præstantissime Principum, in Romanum sermonem translatum (tan-  
tùm est, ut ipse patientius nôsti, ad intelligendum difficilis, quantùm  
sermone sublimis: immò quanto difficilia sunt intellectu & alta myste-  
rijs, quæ ipse perferutatus, supernâ revelante gratiâ, didicit; & arcana  
Theologiæ (divinâ se ducente manu) ingressus in sanctuarium Dei, a-  
blato velamine penetravit.

Circa an-  
num 865.

Mirandum igitur est, quia Pietas tua nec talia indiscussa reliquit. Sed  
hic licet in terrâ ambulat, tanquam in cælis conversans ambit: ita ut,  
veluti quidam (ut ita fateamur) angelus vel cœlestis homo, sancta san-  
ctorum ingredi contemplatione videaris, & ad abdita & adyta divinæ  
ineffabilitatis (quantum possibile est mortalibus) acutis spiritualium  
oculorum visibus \* accepisse. Mirandum est quoque, quomodo  
vir ille barbarus (qui in finibus mundi positus, quanto ab hominibus  
conversazione, tanto credi potuit alterius linguæ dictione, longinquus)  
talia intellectu capere in aliamque linguam transferre valuerit. *Iohan-  
nem* innuo *Scotigenam* virum, quem auditu comperi per omnia sanctum.  
Sed hoc operatus est ille artifex spiritus, qui hunc ardentem pariter &  
loquentem fecit. Nisi enim ex gratiâ ipsius igne charitatis flagrasset, ne-  
quaquàm donum linguis loquendi procul dubio suscepisset. Nam hunc  
magistra charitas docuit, quod ad multorum instructionem & ædifica-  
tionem patravit.

\* accepisse.

Verum etsi ad mensuram datus est ei spiritus: ipse tamen, paternis doctrinis imbutus, quantum potuit fecit, & prodesse proximis ultra vires tentavit. Siquidem præter illa quæ hunc latuisse probantur, ex his quæ sparsim à quibusdam de prædicti Patris sermonibus & epistolis ante nos interpretata inveniuntur, plurimum utilitati subtraxit; quia tanto studio verbum de verbo dicere procuravit: quod genus interpretationis (licet & ipse plurimum sequar) quantum illustres interpretes vitent, tua profectò solers experientia non ignorat. Quod cum non egisse ob aliam causam existimo, nisi quia cum esset humilis spiritu, non præsumpsit verbi proprietatem deserere; ne aliquo modo à sensus veritate decideret. Unde factum est, ut tantum virum, qui per se (quia inrima & ardua quæque utriusque philosophiæ penetralia rimari proposuit) perplexus nostris intellectibus videbatur, intra cuiusdam labyrinthi difficultia irretiret, & in antris profundioribus invisibilem quodammodo collocaret; & quem interpretaturum susceperat, adhuc redderet interpretandum.

Quapropter ipse meritò anxius, cœpi sedulò quærere, si fortè reperiri potuisset præceptor quisquam vel aliquod scriptum, quo enucleante, tantus Pater nobis liquidius illucesceret; & (quia jam per interpretis industriam linguæ nostræ fuerat traditus, (nostris patulis redderetur perfectiùs intellectibus: cum ecce repentè *paratheses* sive *scholia* in eum (quæ Constantinopoli positus videram) ad manus venère, quibus utcumque interpretatis, mihi aliquantulum magis emicuit. quæ in marginibus interpretati codicis ejus, ut in Græco repperi, mox interpretata utcumque (donec à docto meliùs interpretarentur) respondentibus signis interpretis ego satis imperitus apposui, Vestraque gloriosæ sapientiæ potissimum fore mittenda non immeritò judicavi, ut scilicet, quæ fuit alterius interpretationis hortatrix & auxiliatrix, sit etiam nostræ qualiscunque susceptrix & approbatrix. Ipsorum autem *scholorum* sive *paratheseon* quæcunque in calce sui signum vivificæ Crucis habent, à beato *Maximo* Confessore & monacho inventa narrantur; cætera verò sancti *Iohanni Sycopolitani* episcopi esse feruntur. Sanè ubi à verbis interpretis scholia ipsa dissentire vidi; ut Lector quid de apposita dictione interpretis senserit, quid scholion insinuet indifficiliter agnoscat, & verba interpretis scholio inserui, & qualiter ea scholij compositor pratulerit innui. Sed & sicubi opportunum fore conspexi, ex me quoque (quoniam esse aliter non potuit) paucissima quædam, & quæ faciliùs ab intelligente agnosci poterant, interpolui.

Præterea notandum est, quòd licet tantæ gloriæ tantæque scientiæ sive antiquitatis iste sanctus *Dionysius* fuerit, nunquam tamen aliqua opuscula eum edidisse (nisi fallor) quæcumque Orthodoxorum scripta traditio prodit, priusquam Romani Pontifices (videlicet *Gregorius*, *Martinus*, & *Agatho*) dictorum ejus in conscriptis suis mentionem fecerint, & ea per hæc probabilia judicantes admiserint. *Gregorius* scilicet in homeliâ capituli Euangelij de centum ovibus & decem dragmis; *Martinus* in Synodo suâ quam Romæ contra hæreticos celebravit; &

*Agatho* in Epistolâ quam ad Sextam Synodum destinavit. Vnde ego veram esse Græcorum opinionem conijcio, perhibentium libros ejus à prioribus hæreticis occultatos; donec longo post tempore ex opusculis ejus solus codex qui nunc habetur, est Romæ repertus, caterisque nondum inventis, in Græciam asportatus. Edidit enim alios, ut ipse innuit, libros; quos nec Græcus quisquam nec adhuc potuit invenire Latinus.

Et quidem *Lucas* in Actibus Apostolorum *Eusebiusque Pamphili & Dionysii* Corinthi antistes, de eo quædam miranda tradunt: quæ verò scriptis ( nisi me oblivio fallat ) omninò non tradunt. Suadet autem ad hoc ita credendum etiam illud, quòd nemo probabilium Tractatorum ( sicut eis moris est priorum dicta exponendi, & suis opusculis inferendi ) scriptis ipsius utitur, aut horum cujuscumque reminiscitur. Denique vir magnus & Apostolicæ sedis præceptor \* *Constantinus* philosophus, qui Romam sub venerabilis memoriæ *Adriano* juniore Papâ veniens, *S. Clementis* corpus sedi suæ restituit ( quique totum codicem sæpe memorati & memorandi Patris memoriæ commendabat, & quantum utilitatis medulla ejus habebat, auditoribus commendabat ) solitus erat dicere: quòd si sanctos, videlicet priores institutores nostros, qui hæreticos vix & quodammodo cum fuste decollaverunt, *Dionysium* contigisset habere; cum acuto illos gladio proculdubio trucidassent. innuens profectò hujusmodi dicto, quia quorum os laboriosius & fortè tardiùs obstruxerunt, faciliùs & acutiùs sive velociùs ( *ὄζυ* quippe & *acutum* significat & *velox* ) obmutescere cõgissent. Ac post prælatorum sanctorum sedis Apostolicæ præsulum memoriâ, tam *Septima* & *Octava* Synodus, quàm Latini & Græci Doctores, non solùm quia venerabilis hic Pater scripserit innuunt, sed & testimonia ex Scripturis ejus frequenter assumunt; ut scilicet sensus suos & dicta tanti viri reddant auctoritatis pondere grvida, & cuicùq; mortalibus approbanda pariter & sectanda.

Deus omnipotens gloriam tuam à terrenis ad cæleste regnum transferat quandoque.

\* de quo vide Anastasij hujus Præfat. in Octavam Synodum ( tomo 3. Concil. general. edit. Rom. part. 2. pag. 181. )

## RE C E N S I O.

*Idem* hic de *Iohannis Scoti* translatione ab *Anastasio* fertur iudicium, quod postea à *Rogero Hovedeno* latum est, in priorè parte *Annalium*. Caroli rogatu Hierarchiam *Dionysij* Arcopagite in Latinum de Græco verbum è verbo transtulit: quo fit, ut vix intelligatur Latina litera, quæ volubilitate magis Græcâ, quàm positione construitur, nôstra. Ex hæc autem Epistolâ intelligimus, Græcâ in *Dionysium* quæ *Maximo* tribuuntur Scholia, non illius esse omnia, sed *Iohannis Sycopolitani* episcopi præcipue habere admixtas. Vnde & *Prologo* in Græcâ editione *Morellianâ* titulum hunc præfixum videmus: Πρόλογος τῶ ἀγίου Μάξιμου, ἢ κατὰ πῶτος τῶ Συκοπολίτου. *Prologus* sancti *Maximi*, vel, secundum quosdam, *Sycopolitani*.

EPIST.  
XXV.DUBLINIENSIVM, ad Lanfrancum Cantuariensem  
archiepiscopum.*Venerando sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Metropolitano Lanfranco, Clerus  
& populus Ecclesiæ Dublinensis debitam subjectionem.*Anno Chri-  
sti 1074.Hæ B. Lan-  
franci Epist.  
editæ sunt  
cum ejusdẽ  
operibus  
cura & stud.  
D. Lucæ Da-  
cherij Mon.  
Ben. Cõgr.  
S. Maurij,  
Paris 1648.

**V**estra Paternitati est cognitum, quòd Ecclesiæ Dublinensis (quæ  
Hiberniæ insulæ metropolis est) suo sit viduata pastore, ac destitu-  
ta rectore. Propterea elegimus presbyterum, nomine *Patricium*, nobis  
& Ecclesiasticâ disciplina imbutum, natalibus & moribus nobilem, Apostolicam  
sensibus cautum, in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatum. Quem nobis  
quantoocius petimus ordinari Episcopum: quatenus, auctore Deo, regu-  
lariter nobis præesse valeat & prodesse; & nos sub ejus regimine salubri-  
ter militare possimus. quia integritas præsentium salus est subditorum:  
& ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ.

## RECENSIO.

*Historia, cum hujus Epistola argumento connexa, & in Dublinensibus & in Can-  
tuariensibus Annalibus habetur tradita. In Dublinensibus quidem ita. Anno Domini  
1074. Dúnanus, episcopus Dublinensis civitatis in Christo quievit, & in Ecclesiâ Sanctæ  
Trinitatis, juxta magnum altare, ad dextram ipsius, est sepultus. Eodem anno ad re-  
gimen Dublinensis Ecclesiæ Lanfrancus Archiepiscopus Cantuarix, petente Goderico  
Rege, Dublinensis Ecclesiæ populo & clero consentientibus & eligentibus, in Eccle-  
siâ S. Pauli Londoniæ Patricium sacravit antistitem, acceptâ prius ab ipso examinato  
Professione, de suâ obedientiâ (modo antecessorum suorum) sibi suisque successoribus  
adhibendâ: sacratumque in patriam, unde venerat, remisit, dans ei literas ferendas  
Goderico regulo & Terdilvaco maximo Regi Hiberniæ. In Cantuariensibus brevius,  
hoc modo. Lanfrancus, ordinationis suæ quarto anno, Patricium Dubliniæ civitati in  
Hiberniâ sacravit Episcopum Londoniæ: à quo & Professionem accepit; & literas ei,  
deferendas Regibus Hiberniæ, dignas valde memoriæ contrahit Professionem, cujus  
hic fit mentio, pagina 118. exhibemus, ex eodem Cottoniana Bibliotheca codice desum-  
ptam, è quo præsentem Epistolam descripsimus. Litera verò ad Reges missa, jam proximè  
subsequuntur.*

EPIST.  
XXVI.LANFRANCI Cantuariensis archiepiscopi, ad Gothricum  
regem Dubliniæ.Anno Chri-  
sti 1074.*Lanfrancus non suis meritis, sed gratiâ Dei Archiepiscopus; glorioso  
Hiberniæ regi Gothrico, salutem orationibus.*

**V**enerabilem fratrem ac Coëpiscopum nostrum *Patricium*, quem  
(charissime fili) Excellentia vestra ad nos consecrandum transmi-  
sit, honestè suscepimus, debitis officijs secundum Canonicam institu-  
tionem (sancti Spiritus gratiâ cooperante) sacravimus, sacratum ad se-  
dem propriam cum testimonio litterarum nostrarum (more antecesso-  
rum nostrorum) remisimus. Qui quamvis de gloriâ vestrâ multa nobis  
bona,

bona, multisque laudibus digna nobis retulerit; non ab re tamen esse credimus, si prædicanda vestra studia nostrâ adhortatione pulsamus. Sicut enim ignis flante vento clariùs lucet, & major efficitur, sic vera virtus veris præconijs pulchrius enitescit, & in melius augmentatur.

Rogamus igitur, sicut rogari oportet pretiosum sanctæ Ecclesiæ filium, quatenus Fidem rectam, ab ipso Deo & sanctis eius Apostolis atque orthodoxis Patribus traditam, cum omni mentis sinceritate inviolatam teneatis; Fideli congrua opera, in quantum vires suppetunt, exhibeatis; superbis austeram, humilibus placabilem vestram Celsitudinem ostendatis. In regno vestro perhibentur homines, seu de propriâ, seu de mortuarum uxorum parentelâ conjuges ducere: alij legitimè sibi copulatas pro arbitrio & voluntate relinquere; nonnulli suas alijs dare, & aliorum infandâ commutatione recipere. Hæc, & si qua sunt alia crimina, propter Deum & animam vestram in terrâ potestatis vestræ corrigi iubete: talesque vos cum divino adiutorio vestris subditis exhibete, ut & amatores boni bona ampliùs diligant, & appetitores mali pravas actiones nequaquam exercere præsumant. Hoc enim facientes, & diutiùs cum rerum temporalium felicitate in terrâ regnabitis, & post terrenum regnum sine fine regnaturi ad cœlestia regna migrabitis.

Plura & prolixius vobis scripsissem: sed habetis vobiscum prædictum Antistitem vestrum, monasticis institutionibus à pueritiâ enutritum, scientiâ divinarum litterarum strenuissimè eruditum, bonorum operum ornamentis (in quantum cognosci à nobis potuit) decentissimè adornatum. Quem de animâ vestrâ vobis sæpiùs loquentem si intento corde audieritis, audientes ut patri spirituali (in his quæ ad Deum pertinent) obedieritis, obedienter ea, quæ vobis ab eo prolata fuerint, in arcâ pectoris vestri reposueritis; speramus per misericordiam Dei, quia neque vos perniciosè errabitis, neque subditos vobis in pravaram actionum pertinaciâ stare diu permiseritis. Omnipotens Dominus contra inimicos mentis & corporis brachio virtutis suæ Excellentiam vestram defendat; & post longam huius sæculi vitam, ad eam, quæ finem non habet, feliciter vos perducatur.

## RECENSIO.

*Gothicus hic non alius fuisse videtur quàm Godredus, cognomento Crovan, de quo in Chronico regum Mannia, ad annum 1066. ita legimus. Godredus subjugavit sibi Dubliniam, & magnam partem de Lainestir. Scotos verò ita perdomuit; ut nullus qui fabricaret navem vel scapham, ausus esset plus quàm tres clavos inserere. Regnavit autem sexdecim annis; & mortuus est in insulâ quæ vocatur Yle.*

## Ejusdem Lanfranci, ad Terdelvacum Hiberniæ Regem.

EPIST.  
XXVII.Anno Christi  
1074.*Lanfrancus peccator & indignus sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopus, magnifico Hiberniæ Regi Terdelvaco benedictionem, cum servitio & orationibus.*

**N** Vllam Deus majorem terris misericordiam impendit, quàm cum pacis ac iustitiæ amatores ad animarum seu corporum gubernacula provehit: & maximè cum bonis Regibus regna huius mundi regenda committit. Hinc namque pax oritur, discordia sopitur, & (ut breviter cuncta complectar) Christianæ religionis observantia stabilitur. Quod populis *Hiberniæ* divinitus tunc collatum fuisse prudens inspector intelligit, quando omnipotens Deus Excellentia vestræ ius regiæ potestatis super illam terram concessit. Tot enim tantaque bona de magnitudinis vestræ erga bonos piâ humilitate, contra pravos districtâ severitate, circa omne hominum genus discretissimâ æquitate, fratres & Coepiscopus noster *Patricius* narravit; ut quamvis vos nunquam viderimus, tanquam visos tamen vos diligamus, & tanquam visis & bene cognitis vobis salubriter consulere, & sincerissime servire cupiamus.

Verùm inter multa quæ placent, relata nobis sunt quædam quæ displicent: videlicet quòd in regno vestro quisque pro arbitrio suo legitime sibi copulatam uxorem, nullâ canonicâ causâ interveniente, relinquit, & aliam quamlibet, seu sibi vel relictæ uxori consanguinitate propinquam, sive quam alius simili improbitate deseruit, maritali seu fornicariâ lege, puniendâ sibi temeritate conjungit. Quòd Episcopi ab uno Episcopo consecrantur. Quòd infantes baptismo sine chrismate consecrato baptizantur. Quòd sacri ordines per pecuniam ab Episcopis dantur. Hæc omnia, & si qua sunt similia, contra Evangelicam & Apostolicam auctoritatem, contra sanctorum Canonum prohibitionem, contra omnium orthodoxorum Patrum, qui nos præcesserunt, fieri institutionem; nullus qui sacras litteras vel mediocriter legit, ignorat. Quæ, quanto in conspectu Dei Sanctorumque eius amplius sunt horrenda, tanto studiosius vestris sunt sine aliquâ dilatione iussionibus prohibenda; & nisi prohibita corriganur: districtissimâ terroris vestri severitate punienda. Nullum enim Deo vel majus vel gratius munus offerre potestis, quàm si divina & humana debitis legibus gubernare studetis.

Memores igitur divini iudicij, quo de commisso vobis regno rationem reddituri estis Deo, Episcopos & religiosos quosque viros in unum convenire iubete, sacro eorum conventui præsentiam vestram cum vestris optimatibus exhibete, has pravas consuetudines, omnesque alias, quæ à sacris legibus improbantur, à regno vestro exterminare studete: quatenus Rex Regum, & Dominus dominantium, cum viderit Regiam majestatem vestram præceptis suis in omnibus esse subjectam, servis quoque ac fidelibus suis pro timore & amore eius mansuetam, inimi-

HIBERNICARVM SYLLOGE.

51

cis divinæ religionis divino zelo infestam; ipse quoque vos vestrosque fideles clamantes ad se propitiatus exaudiat, hostes conterat, pacemque vobis in hoc sæculo stabilem, & in futuro vitam æternam concedat.

RECENSIO.

Hanc, & præcedentem Epistolam, Annalibus suis ( in anni 1089. Historiâ ) inseruit Casar Baronius: quam utramque, ex Cottoniano optima nota Manuscripto, emendatorem hic dedimus De barbarâ autem istâ (qua non solum in Hiberniâ, sed etiam apud Anglo-Saxonas & Scotos in Britannia invaluerat) legitimas uxores deserendi consuetudine, videndus Camdenus in Hiberniâ suâ pag. 765. & Ioannes Picardus, in notis ad Anselmi lib. 3. Epistol. 147 ubi tamen Terdelvacum (ad quem & hæc à Lanfranco, & vicesima nona à Gregorio V II. data est epistola) Gothrici successorem perpetuam constituit: cum eodem tempore Gothricus Dubliniæ regulus, & Terdelvacus (quem nostri coinidealba ch O deiaim nuncupant) summus Hiberniæ Rex fuerit.

Ejusdem Lanfranci ad Domnaldum Hiberniæ Episcopum.

EPIS T.  
XXVIII.

Lanfrancus indignus sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Antistes, venerando Hiberniæ Episcopo D. & illi qui sibi litteras transmisserunt, Salutem & benedictionem.

Anno Christi  
1081.

**I**N itinere positi, & à civitate in quâ nobis sedes Episcopalis est longe sepositi eramus; quando litteras vestras, nuncio vestro deferente, suscepimus. Quem cum rogassemus ut saltem paucis diebus nobiscum maneret; quatenus perquisitis libris, congruum pro captu nostro ad consulta vestra responsum vobis referret: petitioni nostræ effectam negavit, & se diutius non posse morari multis assertionibus allegavit. Itaque dulcissimam nobis fraternitatem vestram paternâ charitate monemus, ne indignum vobis sit, quòd de tantâ re tam breviter respondemus.

Reverâ & procul pulsâ omni ambiguitate sciatis, neque transmari- nas Ecclesias, neque nos Anglos, hanc de infantibus tenere sententiam quam putatis. Credimus enim generaliter omnes, omnibus ætatibus plurimum expedire, tam viventes quàm morientes Dominici corporis & sanguinis perceptione sese munire. Nec tamen si, prius quàm corpus Christi & sanguinem sumant, contingit baptizatos, statim de hoc sæculo ire; ullatenus credimus eos (quod Deus avertat) propter hoc in æternum perire. Alioquin veritas non esset verax, quæ dicit: *Qui cre-* Marc. 16. 16.  
Ezech. 36.  
25.  
*diderit & baptizatus fuerit, salvus erit: & per Prophetam: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* quod de baptismo esse dictum, omnes huius sententiæ expostores concorditer asseverant. Et Petrus Apostolus: *Et nos nunc similis forma salvos facit baptisma.* & Paulus Apostolus: *Quorquor in Christo baptizati estis Christum induistis.* Christum est enim induere, habitatorem Deum per remissionem peccatorum in se habere.

Nam sententia illa quam Dominus in Euangelio dicit; *Nisi manduca-* Ioan. 6. 54.  
*veritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vi-*

G. ij

Matth. 10.  
32.

tam in vobis; quantum ad comestionem oris, non potest generaliter dicta esse de omnibus. Plerique etenim sanctorum Martyrum ante baptismum quoque diversis excruciatu pœnis de corpore migraverunt. Eos tamen in numero martyrum computat & salvos credit Ecclesia, per illud testimonium Domini, quo dicitur: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego cum coram Patre meo qui est in cœlo.* Infantem quoque non baptizatum, si morte imminente urgeatur, à fidei laico, si presbyter desit, baptizari posse Canones præcipiunt; nec cum tamen, si statim moriatur, à consortio fidelium sejungunt.

Necesse est ergo prædictam Domini sententiam sic intelligi, quatenus fidelis quisque divini mysterij per intelligentiam capax, carnem Christi & sanguinem non solum ore corporis sed etiam amore & suavitate cordis comedat & bibat: videlicet amando & in conscientia pura dulce habendo, quod pro salute nostrâ Christum carnem assumpsit, pependit, resurrexit, ascendit; & imitando vestigia eius, & communicando passionibus ipsius, in quantum humana infirmitas patitur & divina ei gratia largiri dignatur. Hoc est enim verè & salubriter carnem Christi comedere & sanguinem eius bibere.

Augustin.  
de Doctr.  
Christ.  
lib. 3. cap.  
10.

Quam sententiam in libro de Doctrinâ Christianâ beatus Augustinus exponens, sic ait. *Facinus vel flagitium iubere videtur. Figura ergo est, præcipiens passioni Dominica communicandum esse, & suaviter atque milititer in memoriâ recondendum quòd pro nobis caro eius vulnerata & crucifixa sit.*

Ioan. 6. 57.

(Figuram vocat figuratam locutionem. neque enim negat veritatem carnis & sanguinis Christi: quod plerisque schismaticis visum est, & adhuc non cessat videri.) & Dominus in Euangelio: *Qui manducati carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* Quod exponens beatus Augustinus, ait: *Hoc est namque carnem Christi & sanguinem salubriter comedere & bibere, in Christo manere, & Christum in se manentem habere.* Nam & Iudas qui Dominum tradidit, cum ceteris Apostolis ore accepit: sed quia corde non comedit, iudicium sibi aeternæ damnationis accepit.

Augustin.  
in Euangel.  
Ioan. tract.  
26.

Questiones sæcularium litterarum nobis solvendas misistis: sed Episcopale propositum non decet operam dare huiusmodi studijs. Olim quidem iuvenilem ætatem in his detrivimus: sed accendentes ad pastorem curam, abrenunciandum eis decrevimus.

### RECENSIO.

Hæc spectant qua in Cantuariensibus Annalibus, ad annum vi. Lanfranci, memorantur. Eo quoque tempore misit in Hiberniam Domnaldo Episcopo literas, sacre doctrinæ pinguedine refertas. Has verò, in tomò Epistoliarum Lanfranci non inventas, Decretis Synodicis & Pontificiis ab Isidoro Mercatore collectis, tum in publicâ Academia Cantabrigiensi, tum in privatâ D. Roberti Cottoni Bibliothecâ, subiuncta reperimus. Domnaldus autem sive Donaldus, cuius etiam in 33. & 34. epistola fit mentio, Armashanus videtur fuisse Archiepiscopus & totius Hiberniæ Primas.

GREGORII VII. Romani Pontificis ad *Hibernos*.EPIST.  
XXIX.

*Gregorius Episcopus, servus servorum Dei; Terdelvacho inclyto Regi Hibernie, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Proceribus, omnibusque Christianis Hiberniam inhabitantibus, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Circa An-  
num 1085.

**P**ER orbem universum Domini Iesu doctrina refulsit. quoniam is qui de thalamo suo tanquam Sponsus exiit, tabernaculum suum in Sole constituit; & nemo est, qui caloribus eius fulgorem effugere possit. Huius auctoritas sanctam Ecclesiam in solidâ petrâ fundavit; & beato PETRO, à petrâ venerabile nomen habenti, eius iura commisit, quam etiam super omnia mundi regna constituit: cui principatus, & potestates, & quicquid in sæculo sublime videtur esse, subiecit. illo Isaia complete Oraculo. *Venient, inquit, ad te qui detrahebant tibi; & adorabunt vestigia pedum tuorum.* Beato igitur PETRO, ejusque vicarijs (inter quos dispensatio divina nostram quoque sortem annumerari disposuit) Orbis universus obedientiam similiter & reverentiam debet: quam mente devotâ sanctæ Romanæ Ecclesiæ exhibere reminiscimini. Vos autem (ut charissimos filios) exhortamur iustitiam exercere, Catholicam Ecclesiæ pacem tueri & diligere, ipsamque diligentes ulnis charitatis vobis adungere. Si qua verò negotia penes vos emerferint, quæ nostro digna videantur auxilio, incunctanter ad nos dirigere studete: & quòd iustè postulaveritis, Deo auxiliante impetrabitur. Data Sutrij. VI. Kal. Mart.

Psalm. 19.  
4. 5. 6.Esaï. 60.  
14.

## RECENSIO.

*Hanc quoque Epistolam, in Gregorij Regesto nequaquam inventam, eidem Isidori Mercatoris Collectioni annexam reperimus: & quia nullius certi anni, quo scripta ea fuerit, comparebat indicium; ad postremum Pontificatus illius annum referre libuit. Anno autem 1085, vita illum excessisse constat, 15. vel 16. annis ante obitum Guiberti Antipapa, qui ab Archiepiscopatu Ravennate ad Romanum Pontificatum erectus, Clemens III. est dictus. in quem à Guilielmo Pictaviensi Leonini isti editi sunt versiculi, quos (ut ad 4. Epistolam sumus polliciti) ex Manuscripto quondam ad Succentoriam Thorneya apud Halifaxenses pertinente descriptos, huc appnere visum fuit.*

VVilhelmus Canonorum beati Hilarij minimus, VViberto.

Ne metra contemnâs tibi scripta videre Ravennas:  
Consilium sanum ne crede tibi fore vanum.  
Ad cor manè citò ratione fruendo redito.  
Si cor habes mundum, monstrabit te furibundum:  
Qui contra cælum jadis impenetrabile telum.  
Te patet incautum, qui cornua ponis in altum;  
Eventu tristi regnum poscens tibi Christi.  
Infans penitus in ludibrium stabilitus;  
Qui sanctæ sedis Papam fore te malè credis,  
Quam factus prædo violasti corpore sædo.

G iij

Stat meritò *Demens* nomen tibi stat malè *Clemens*,  
 O caput erroris per multa fluente cruoris;  
 Nunc manifestabit error tuus atque probabit,  
 Quos velut argentum fidei probat experimentum.  
 Ergo quamproperè tua cœpta caveto tenere:  
 Et fastu spreto quid sis moriture videto.  
 Papæ prostratus transactos ede reatus;  
 Et veniam quære, culpamque tuam profiteri:  
 Est pius indultor, tamen æquè criminis ultor

EPIST.  
XXX.

GILBERTI *Lunicensis* Episcopi, ad Episcopos *Hiberniæ*.

*De Vsu Ecclesiastico.*

Circa an-  
num 1090.

*Episcopis, [ & ] presbyteris totius Hiberniæ, infimus presuluum Gilbertus Lunicensis in Christo salutem.*

**R**ogatu, necnon & præcepto multorum ex vobis (charissimi) Canonicalem consuetudinem in dicendis horis & peragendo totius Ecclesiastici Ordinis officio scribere conatus sum, non præsumptivo, sed vestræ cupiens parere pijsimæ iussioni; ut diversi & schismatici illi ordines, quibus *Hibernia* pene tota delusa est, uni Catholico & Romano cedant Officio. Quid enim magis indecens aut schismaticum dici poterit, quàm doctissimum unius Ordinis in alterius Ecclesiâ idiotam & laicum fieri? Quicumque ergò Catholicæ membrum se profiteretur Ecclesiæ, sicut unâ fide, spe, charitate, in corpore jungitur: ita Deum ore & ordine cum cæteris membris laudare iubetur. Vnde Apostolus: *Rom. 15. 6. Ut unanimes uno ore honorificetis Deum.* Sicut igitur linguarum per superbiam facta dispersio, ad unitatem in Apostolicâ humilitate ducta est: sic ordinum per negligentiam & præsumptionem exorta confusio, ad consecratam Romanæ Ecclesiæ regulam per vestrum studium & humilitatem ducenda est. Quantum ergo debeat morum unitas servari à fidelibus, quamvis ex multis locis factæ Scripturæ manifestum sit; præsens tamen Ecclesiæ depicta imago oculis subjecta patenter ostendit. Namq; omnia Ecclesiæ membra uni Episcopo, videlicet Christo, ejusque vicario beato Petro Apostolo, atque in eius sede præsidenti Apostolico, subijci & ab eis manifestat gubernari. Hæc tandem præmia pro tantulo opere à vobis omnibus exoptulo; ut sicut hîc Deum uno corde & ore laudare debemus, sic ei, vestris precibus adjutus, unâ vobiscum psallere in cælestibus valere merear. Amen.

Subijciatur in Manuscriptis, quibus hîc usi sumus exemplaribus, *Ecclesia depicta imago* (cuius in superiori Prologo facta est mentio, & in proximo libello sequitur explicatio,) hîc circumdata *πνευματικῆς*. ARCA figuram Mundi habuit: fuit enim tricamerata. In superiori parte errant aves, tanquam Angeli in Cælo. In medio erant Homines (scilicet Noë, & familia eius) tanquam in hoc Mundo. In imo Animalia & reptilia, tanquam Anima in Inferno. Verùm, ob Chalcographorum typorum defectum, Schema illud coacti sumus hîc omittere.

## GILBERTVS LVNICENSIS EPISCOPVS,

*De Statu Ecclesie.*

**I**Mago generalis Ecclesie suprâ notata, primas nominum litteras pro ipsis nominibus idcirco continet; quia spatium scribendi ipsa nomina tota non habet. Infima tamen linea tria hæc tota vocabula describit, *Moniales, Canonicales, vel Universales.* Et tota quidem imago Pyramidis formam præterdit: quia inferius ampla est, ubi carnales & conjugatos recipit; superius autem acuta, ubi arctam viam religiosis & ordinatis proponit. Nec sola generalis forma superius arctatur; sed & singulares formulæ, quas ipsa continet, in supremo acuuntur.

Primâ ergo Pyramide (quam in sinistrâ parte respicis, P. subscriptum) *Parochiam* nominant: quæ in summo *Sacerdotem* habet, & sub ipso *Diaconum*, tertium *Subdiaconum*, quartum *Acolitum*, quintum *Exorcistam*, sextum *Lectorem*, septimum *Ostiarium.* *Amelarius* tamen novem dicit gradus Ecclesie; addens *Psalmistam* & *Episcopum.* Sed tamen *Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, & Propheta,* generalis Ecclesie gradus sunt: singularis verò idcirco illis tantum superioribus perfecta est; quia in baptismo & corpore Domini veniam largiendo, filios suos fideles ad cœlestem patriam transmittit. Quia verò quilibet de choro solâ iussione Presbyteri potest officio *Psalmista* fungi, psallere scilicet sive cantare; in numero graduum Ecclesie *Psalmistas* non ponimus. Septem ergo gradus à septiformi spirita singulis collati sunt Ecclesijs: quia quamvis singulæ in eis personæ non seruiant; omnes tamen septem gradus sustinens solus Sacerdos, Omnipotenti gratanter ministrat.

Qui autem sub his gradibus, intra sinum parochialis Ecclesie continentur, trifariè dividuntur. Ex quibus superiores in Pyramide *Oratores* intellige: & quia quidam ex eis conjugati sunt, idcirco viros & fœminas nominavimus. Sinistrales verò in Pyramide *Aratores* sunt, tam viri quàm fœminæ. Dextrales quoque *Bellatores* sunt, viri atque fœminæ. Nec dico fœminarum esse officium orare, arare, aut certè bellare: sed tamen his conjugatæ sunt atque subserviunt, qui orant, & arant, & pugnant. Nec sejunctas ab Ecclesia putamus præsentis, quas *Christus* cum matre suâ collocat in cœlecti. Et hos tres legitimos fidelium ordines ab initio admittit Ecclesia: ut pars in eâ (Clerus videlicet) orationi vacans, alios ab impetu fallacis inimici defendat; alia labore desudans, ab alijs victus penuriam repellat; tertia militiæ studio dedita, ceteros à corporis hostibus securos reddat.

Secunda verò Pyramis subscribitur *Monasterium*: & habet in acumine *Abbatem*, & sub ipso sex gradus; qui ipso Sacerdos est. atque sub hijs *Oratores* tantum: quoniam non est Monachorum baptizare, communicare, aut aliquod Ecclesiasticum laicis ministrare; nisi forte, cogente necessitate, imperanti Episcopo obediant. Quorum propositum est soli Deo, relictis secularibus, in oratione vacare.

Has itaque duas Pyramides (*Parochiam* scilicet & *Cœnobium*) subje-

Etas possidet *Pontificalis* Ecclesia: quæ & ipsa, in modum Pyramidis, ad basim duabus minoribus ampla, in supremo acuitur, & subscribitur *Episcopatus* pro eo quod Episcopo in summâ sede dirigitur. Cui pro parvitate spatij, paruula punctis notata supponitur Pyramis; ut declaret *Episcopatum* in Ecclesiâ propriâ sedis habere Sacerdotes & ceteros sex gradus, & tres supradictos fidelium ordines: quod ex numero punctorum patet. Nec idcirco duæ tantum Ecclesiæ *Pontifici* subjiciuntur, quod duabus possit esse contentus: sed per unam omnes *Parochias*, & per alteram omnes *Abbatias*, quas regit, obtinere figuratur. Obtinet enim ut minimum decem Ecclesias, ut plurimum verò mille.

Hoc eodem ordine duas sequentes Pyramides (*Parochiam* videlicet & *Monasterium*) secundo suppositas *Episcopo* constat. Qui rursùm duo *Episcopi*, cum suis Ecclesijs, uni *Archiepiscopo* subjunguntur. Cujus Ecclesia subscribitur *Vicessis*: & habet in propriâ sede septem gradus, & tres ordines fidelium. Habet ergo extrâ *Parochias* & *Monasterium*: & ut plurimum viginti *Episcopos* regit, ut minimum verò tres. Ad eundem modum alij duo *Episcopi* subnectantur alteri *Archiepiscopo*. Sed & duo *Archiepiscopi* cum suis Ecclesijs & *Episcopis* obediunt uni *Primate*. Cujus Ecclesia subscribitur *Primatus*: & habet in propriâ sede septem gradus & tres ordines fidelium, extrâ verò *Parochiam* & *Monasterium*; & ut plurimum obediunt ei sex *Archiepiscopi*, ut minimum unus. eodem quoq; modo alteri *Primate* in secundâ paginâ, obediunt duo *Archiepiscopi* cum suis *Episcopis* quatuor.

Qui postremùm duo *Primates* serviunt uni & summo Romano *Pontifici* *Papæ*; cujus Ecclesia subscribitur *generalis*, & habet *Parochiam*, *Monasterium*, *Episcopos*, & *Diocæses*. Nō etiam secum in summum *Arca* residet: quia sicut *Noë* *Arca* præerat inter undas diluvij; ita *Romanus Pontifex* regit Ecclesiam in fluctibus sæculi. Quibus utrisque præminet *Christus*: qui utriusque Testamenti legislator est, & utraque fecit unum, summus Paterfamilias, qui excubantes fideliter in hoc tabernaculo honorifice coronat in regno. Conjungitur autem Imperator *Papæ*, Rex *Primate*, Dux *Archipontifici*, Comes *Episcopo*, Miles *Sacerdoti*: quia istæ personæ pares illis sæcularibus jure decernuntur.

Ephes. 14.

Expeditis ergo in communi speculatione figuris, & membris & capite Ecclesiæ: nunc quid singulis ordinibus conveniat explicemus. *Conjugatorum* est, nullam usque in sextam vel etiam septimam progeniem sanguine sibi conjunctam, aut illi quem habuerit aut quam habuit sibi proximus, vel commatrem ducere uxorem: cum quibus enim semel iuncta est Ecclesia, cum eisdem iterùm replicare illicitum \* dicit Ecclesia. *Conjugatis* etiam præceptum est; ut & ipsi domum Domini frequentent, ibiq; Deum suppliciter adorent & præcentur: primitias, oblationes, & decimas suas fideliter persolvant; mala solerter devitent, bona desiderenter inquirent, & omninò Pastoribus suis obediant.

\* dicit.

*Ostiariorum* verò est, certas horas observando designare: & Ecclesiam, cum his quæ in eâ recluduntur, servare; ut nullus *Judæus*, vel *Gentilis*,

Gentilis, sive catechumenus, horâ sacrificij interfit, nec omninò canis aut aliquis immundus sive sanguinolentus in eam intret, cavere; excommunicatos eliminare. *Lectorum* autem est, apertè & distinctè in Ecclesiâ omnia, præter Epistolam & Euangelium, legere. *Exorcistarum* est etiam, fiducialiter adjurando & imperando in nomine Domini, de obsessis corporibus demones effugare; sive catechumeni sint, sive baptizati. *Acolythorum* est, luminaria certis horis accendere & extinguere; altaris & sacrificij necessaria ad manum Subdiaconi præparata habere. Atque hi quatuor Ordines in officijs suis solent indui superhumerali, albâ & cingulo: & tamen possunt perfrui conjugio.

*Subdiaconorum* est, Epistolam legere, aquam & vinum calici infundere, oblatam patenâ imponere, & sic ad altare Diacono deferre: & idcirco castos esse. cum supradictis autem vestibus, in sinistrâ manu fanonem, & quasi scopam tergendî altare & quoddam onus Domini leve portant; & tunicam strictis manicis in sollennijs induunt. *Diaconorum* est dicere; *Excant qui non communicant*; & *Humiliate vos ad benedictionem*; & *Humiliate capita vestra Deo*; & *Ite missa est*; & *Benedicamus Domino*; & Euangelium legere & pronuntiare; sacrificia super corporalia statuere, Sacerdoti ministrare, Paschalem cereum benedicere; & in absentia Presbyteri baptizare, & horas celebrare: stolam etiam super sinistrum humerum ferre, & indui Dalmaticâ in sollennibus, id est, tunica amplis manicis. In festivis autem Quadragesimæ \* induuntur Diaconus & Subdiaconus casulis in totâ Missâ, nisi cum legunt.

\* Fort. nota induuntur.

*Sacerdotum* autem sunt quatuordecim officia, præesse, subesse, orare, offerre, prædicare, docere, baptizare, benedicere, excommunicare, reconciliare, ungeri, communicare, animas Deo commendare, corpora sepelire: de quibus singulis pertractandum est. *Præesse* ergo Sacerdotis est; iuste de singulis subjectis discernere, pœnitentiâ rectè & misericorditer injungere, & præcipere mansuetè. *Subesse* verò est; Episcopo ex animo humiliari & servire. *Offerre* autem ejus est; panem & vinum cum aquâ singulis diebus immolare, & in sollennijs *Te Deum*, & *Benedictus*, & *Magnificat*, & ante sacrificium thus super & circa altare & sacrificium incendere. Diaconus enim ante Euangelium incensat altare. *Orare* quoque ipsius est; suppliciter Deum adorare (ut factura sua) & pro admirandis operibus laudare, & benedicere, pro perceptis beneficijs gratias agere, & pro percipiendis deprecari. quod totum maximè in celebrandis Horis & Missâ peragitur: de quibus quia breviter non potest, in sequentibus tractabitur. *Prædicare* etiam ejus est Gentiles, Judæos, infideles vel catechumenos ad gratiam Baptismi vocare, & hæreticos ad Catholicam fidem revocare.

*Baptizare* ejus est; exorcizatos credentes, & sanctam Trinitatem confitentes, sub trinâ meritione sacro fonti intingere. Quod sicut & Missâ, in Ecclesiâ debet fieri; nisi prohibeat necessitas. Et sacrificium quidem corporis & sanguinis Domini sapè fit, ob recordationem passionis ejus, sicut ipse præcepit dicens: *Hoc est corpus meum; & sanguis meus; hac fa*

Vlserij Epist. Hibern.

H.

1. Cor. 11.

24. 25.

1. Pet. 3. 18.

*cite*, quotiescumque sumitis, *in meam commemorationem*. Baptisma verò non iteratur, ne invocatio sanctæ Trinitatis exinanita putetur: quia *Christus pro peccatis nostris semel mortuus est*. Docere ejus est; baptizatos qualiter contra superbiam humilitate, contra inanem gloriam dejectione, contra invidiam benevolentia, contra iram modestia, contra tristitiam hilaritate, contra avaritiam largitate, contra gulam abstinentia, contra luxuriam castitate muniuntur, instruere. Hæc enim octo vitia, & omnia quæ eis nascuntur, quamvis peccata non sint; tamen semper peccare suggerunt, ipsis videlicet consentire. quamdiu namque non consentit eis animus, nequaquam transgreditur, sed potius coronatur. Docere etiam ejus; \* singulis Dominicis, quibus in hebdomadâ diebus abstinere & feriare fideles debeant, prædicare.

\* Est.

*Benedicere* potest, præsentem Episcopo, aquam & sal in Dominicis Sacerdos; & prandium, & sponsum, & sponsam, & lecturos lectiones præter Euangelium, & \* aquam iudicij vel panem & cætera. In absentia verò Episcopi; potest benedicere coronam clerici & velum viduæ, novos fructus, candelas in Purificatione Sanctæ Mariæ, Cineres in Capite Iejunij, Ramos in Dominicâ Palmarum, & peregrinatos, & lecturum Euangelium, & populum cum dimittitur: aquam benedictam aspergit, ad benedicendas novas domos, & cætera nova. *Excommunicare* ejus est, criminibus lapsos, semel bis & tertio revocatos; & non pœnitentes à communione fidelium eliminate, ut nec in victu nec in loquelâ quicquam eis communicet. *Reconciliare* ejus est; pœnitentes propè mortem de criminalibus, ex consensu tamen Episcopi, ad unitatem fidelium recipere. *Vngere* potest quemlibet fidelem semel in quolibet gravi dolore: quia unctio sancta non solum animæ, sed & corporis sæpè medelam tribuit. *Communicare* statim debet baptizatos, & fideles omnes ter in anno (in Paschâ, in Pentecoste, & Natali Domini) & prope mortem positos, si quæsierint verbo vel signo, vel teste fideli quòd prius quæsisent.

\* Fortè quemlibet.

*Commendare* debet orando animas fideles de corporibus egredientes, & earum memoriam in Missâ & orationibus frequentare. quamvis enim promissa sit indulgentia peccatori quacunque horâ pœniteret, tamen pœna peccantem \* qualibet expectat; Purgatorius videlicet ignis, qui corpore statim egressos & minus per lamenta pœnitentiæ purgatos ad plenitudinem recipit purgandos. Quod ergo pro eis hæc fit in orationibus & elemosynis, proficit eis ad purgationem; quia sudor vivorum requies est mortuorum. *Sepelire* corpora fidelium, ultimum est Sacerdotis officium. ipse enim tertio terram super corpus cum fossore infundit, dicendo: *De terrâ plasmasti me*. Adjacent etiam cæmeterijs sanctorum alia loca, in quibus submersorum & occisorum fidelium corpora conduntur; quia ipsorum animæ Deo commendari non prohibentur. Nam infidelium & sceleratorum corpora longè sunt à fidelium projicienda; quibus enim vivis non communicamus; nec mortuis.

Enumeratis autem atque descriptis Sacerdotis officijs; quibus in his

uti debeat vestibus perspiciamus. Sicut ergo septem gradus sunt, quibus Sacerdos elevatur, ita septem sunt vestes quibus ordinatur: indumentum quotidianum amicta, alba, cingulum, fannon, stolâ & casula. Et cætera quidem omnia officia sine casula, & cum stolâ sola aliquando potest. Quotidiana ad Missam, ut paucissima, sunt quatuor: camisia, tunica, femoralia, calceamenta, addunt tamen *Romani* caligas. Dicit quoque *Amelarius*, Sacerdotem debere indui sandalijs & Dalmaticâ; sed Pontifices apud nos utuntur.

Octo sunt ergo quibus sustentatur Sacerdos; parochia, mansus, atrium, cœmeterium, templum, altare, calix cum patena, corpus cum sanguine: quia singulæ sibi, subjectis quasi quibusdam gradibus, honore & dignitate præferuntur. Parochiam appello populum; primitias, oblationes & decimas persolventem. Mansum dico terram aratri, quam ad minus debet habere Sacerdos, atrium cum domibus suis clausuram. Hæc autem sunt utensilia Sacerdoti oportuna, quæ sine benedictione Episcopi sufficiunt: aqua benedicta \* aspergit, textus sancti Evangelij \* asperson  
rrium.  
Psalterium, Missale, Horarius, Manuale, & Synodalis liber, vela, candelabra cum candelis, arca vestimentorum, pixis cum oblatiis & ferrum eorum, ampulla cum vino & altera cum aqua, pelvis ad manus lavandas cum manutergio, truncus aut lapis cavus ubi aqua unde sacra lavantur effunditur, absconsa etiam sub candelâ, & lecturiale sub libro.

Et superiores quique gradus possunt inferiorum officia ministrare. *Episcopus* ergo Sacerdotis singula ministrat; licet, etiam ipso præsentem, quasi quoddam sit proprium Sacerdotis offerre, baptizare, horas celebrare, ungerere, communicare, commendare, sepelire. Sunt præterea septem Præfulis officia: confirmare, benedicere, absolvere, Synodum tenere, dedicare, consecrare, ordinare. *Confirmare* eius est; frontes fidelium baptizatorum chrismate ungerere. *Benedicere* autem dico Præfullem ea quæ non sunt utensilia Ecclesiæ; consecrare verò ipsa utensilia. *Benedicit* ergo Pontifex Reginam & Virginem cum velatur, & quemlibet fidelem benedici postulantem, & totum populum ante pacem: benedicit etiam supramemorata, quæ non licet Sacerdoti in eius præsentia. *Absolvit* Præful populum de venialibus in capite Ie junij, de criminalibus in Cœnâ Domini. *Tenet* quoque *Synodum* bis in anno; in æstate & in autumno, hoc modo congregatis omnibus Presbyteris totius Episcopatus, perscrutatur Episcopus, ne quid alicui eorum desit in omni ordine, vel utensilibus Ecclesiæ, neve quisquam eorum alteri quicquam fecerit injuriæ: quod tribus diebus fit. Pacatis itaque omnibus, absoluti permittuntur abire in pace.

*Dedicat* etiam Pontifex atrium, templum, altare, tabulam altaris. Dedicare enim est locum Deo offerre, benedicere, & sanctificare. *Consecrat* autem Episcopus utensilia Ecclesiæ (quæ fere omnia Sacerdotibus sunt communia:) vestimenta videlicet Sacerdotalia & Pontificalia, altaris velamina, calicem, patenam & corporalia, vasculum Eucharistiæ, chrisma, oleum & vas Chrismale, thus & thuribulum, baptisterium, arcam vel scrinium reliquiarum, cimbarium (id est, altaris um-

braculum) crucem, tintinnabulum, & a ferrum iudiciale. Ea enim tantum consecrat, quæ à communi usu in cultum divinum separantur. *Ordinat* Episcopus Abbatem, Abbatissam, Sacerdotem & ceteros sex gradus. Vtitur etiam Episcopus, pro dignitatis honore, baculo & annulo, chirothecis & mitrâ, baltheo, Dalmaticâ, & sandalis. Oportet autem eum sacram Scripturam & traditiones Patrum habere, ut possit de singulis iuste discernere, & quælibet quærentibus rationabiliter respondere.

*Archiepiscopo* omnia supradicta conveniunt: insuper pallio honoris induitur; quia ipse, adjutus tamen ab omnibus Diæcesis suæ Episcopis, ordinat Episcopum. Si quis enim ipsorum ordinationi adesse non possit; litteris suis se excusans atque legatis, assensum suum in ordinandis facere confirmat. *Primas* quoque & ipse Archiepiscopus est: nec ipse Archiepiscopum ordinat. Vtrumque enim, Archiepiscopum & Primatem, oportet Romæ ab Apostolico ordinari, aut à Româ eis à Papâ pallium afferri, \* quæ Coëpiscopis sublimari: quæ tunc tantum datur licentia, si forte infirmitatis vel belli aut aliqua alia causa necessaria intercesserit. Eo tantum ergo præest Primas Archiepiscopo: quod cum multi sint in eadem regione Archiepiscopi, solus ex eis qui Regem ordinat & in tribus sollempnitatibus coronat, & apud quem Concilia pro veritate peraguntur, ipse eorum Primatum tenet.

\* atque à

Locum itaque quem apud Orientales *Patriarcha* possident, hunc apud nos *Primates* quodammodo obtinere videntur: utrique Romano Pontifici primo gradu supponuntur. Sed quia *Patriarcha* sedibus præsidet Apostolicis (ut *Hierosolymitanus*, *Antiochenus*, *Alexandrinus*) iccirco Archiepiscopos ordinant, & pares quodammodo Romano ascribuntur. Soli tamen *Petro* dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Papa* ergo solus universali præminet Ecclesiæ: & ipse omnes ordinat & iudicat; & ab omnibus ordinatur, quia ex consensu totius Ecclesiæ Romani eum sublimant, qui quotidie chlamyde coccineâ induitur, ut semper martyrio paratus probetur.

Math. 16.  
18.

a Vide Glossarium Guil. Lambardi ( præfixum Ἀρχαιονύχ) in *Ordalio*. D. Henr. Spelmanni, in *Iudicio Dei*. Fr. Pithæi, in *Capitular*. &c.

## RECENSIO.

Ex *Manuscript*. codice Bibliotheca publica Cantabrigiensi Academia descripsi: colato Prologo. De Usu Ecclesiastico cum alio *Benedictini Collegij*, & libello De Statu Ecclesiæ cum altero monachorum *Dunelmensium* exemplari, à D. Augustino Linsello *Ducano Lichfeldiensi* accepto. Est autem hic Gillebertus ille, quem aiunt, primam functionem legatione Apostolicæ sedis per universam Hiberniam, ut in *vita Malachia* resulat *Bernardus*: non Gilla *Lincolniensis* Episcopus (cujusmodi nunquam in rerum natura quis extitit) quemadmodum in *Appendicis illustrium Angliæ Scriptorum* *Censur.* 1. cap. 93. somniavit *Ioannes Pitseus*.

Ejusdem *Gilleberti*, ad *Anselmum Cantuariensem*  
Archiepiscopum.EPIST:  
XXXI.*Anselmo Dei gratia Anglorum Archi-  
episcopi, Gillebertus Dei quoque  
misericordiâ Lunicensis Episcopi fidele servitium & orationes.*Circa an-  
num 1094.

**A**vdians, Pater, certaminis vestri laborem & laboris victoriam; subditas esse videlicet indomitas *Normannorum* mentes Regularibus sanctorum Patrum decretis, ut legaliter fiat Abbatum & Præfulum electio & consecratio: immensas divinæ clementiæ refero gratias; & quas possum Deo preces effundo, ut perseverantiam vobis & tanti laboris præmium largiatur. Munusculum paupertatis meæ & devotionis transmittito, XXV. margaritulas inter optimas & viliores: & rogo ne sitis immemor mei in orationibus vestris, in quibus post divinam largitatem confido.

## R E C E N S I O.

In Manuscripto Epistolarum *Anselmi* volumine, quod mihi impartivit D. *Robertus Cottonus*, hoc habetur epistolum. Ex eo integrum librum Epistolarum *Gilberti Westmonasteriensis* ad *Anselmum* effinxit *Io. Balaus*, in *Scriptorum Britannia Centur. 2. cap. 64.* addens, esse qui istum, episcopum Lunicensem in *Hiberniâ*, olim fuisse contendat. Sed falluntur illi, errore manifesto. *Gillebertus* enim sive *Gislebertus* cognomento *Crispinus*, in *Beccensi* cænobia una cum *Anselmo* monachus fuerat (non, ut *Lunicensis* noster, *Rothomagi* obiter illi cognitus:) & à *Westmonasteriensi* potèmodum abbatiâ ad Episcopatum nunquam fuit promotus; sed abbas *Westmonasterij* abijt, ibidemque sepul us est, hoc laudatus Epitaphio.

Hic pater insignis, genus altum, virgo senexque,  
Gisleberte jaces; lux, via, duxque tuis.  
Mitis eras, iustus, prudens, fortis, moderatus:  
Doctus quadrivio, nec minus in trivio.  
Sic tamen ornatus, nece sextâ luce Decembris,  
Spiramen cælo reddis & ossa solo.

ANSELMI Cantuariensis Archiepiscopi, ad  
eundem *Gillebertum*.*Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, Gilleberto Lunicensi  
Episcopo Salutem.*

**G**ratias ago Reverentiæ vestræ, quia latari se significat in litteris suis, quod Deus in Ecclesiâ suâ ad profectum religionis per me dignatur aliquid operari. Quoniam autem olim nos apud *Rothomagum* invicem cognovimus, dilectione sociati sumus, & nunc cognosco vos ad Episcopatus dignitatem gratiâ Dei profecisse: confidenter audeo vos obsecrare, & secundum quod intelligo opus esse, vobis consulere. Sublimavit Deus in *Hiberniâ* vestram prudentiam ad tantam dignita-

H ij



Rom. 12. 8.

tem; & posuit vos, ut studeretis ad religionis vigorem & animarum utilitatem. Satagite ergo sollicitè (sicut scriptum est; *Qui præst, in sollicitudine,*) in illâ gente, quantum in vobis est, corrigere & extirpare, & bonos mores plantare & seminare. Ad hoc etiam (quantum in vobis est) Regem vestrum, & alios Episcopos, & quoscunque potestis suadendo, & gaudia quæ parata sunt bonis, ac mala quæ expectant malos, ostendendo attrahite. Et de vestris, & de aliorum bonis operibus præmium mereamini à Deo accipere. Grates refero pro munere vestro, quod mihi benignè misistis. Orate pro me.

## RECENSIO.

*Habetur innot excusas Anselmi, lib. 3. epist. 143. ubi editor Ioannes Picardus Lunicensis hunc episcopum in suo apographo Lunidensem dictum innuit; eumque episcopatum in Hibernia auctoritatem Armachani Metropolita spectare, ex Manuscriptis & impressis Codicibus annotat. Lunidensis enim vel \* Luuidensis potius, id est, Louthianus Episcopatus is olim fuit, qui Clochorensis hodie appellatur. In exemplaribus ex quibus 30. descripta est Epistola, Gillebertum Lunicensem, Lunnicensem, & Lumnicensem Episcopum nominatum deprehendimus, qua postrema nomenclatio ad Limiricensem Episcopatum, qui Casfilienfis Archiepiscopi ditoni subest, nos ducit. Urbs enim qua Anglis Limrick, Hiberni Lumneach nuncupatur.*

\* Girald. Cambrenf. Topograph. Hiberniæ, distinct. 2. cap. 50.

EPIST.  
XXXIII.Circa An-  
num 1095.Eiusdem *Anselmi*, ad Episcopos Hiberniæ.

*Anselmus Cantuariensis Ecclesia Metropolitanus Antistes, reverendis Cœpiscopis, seniori Domnaldo, Donato, ac cæteris in Hibernia Insula Pontificali eminentibus dignitate, à Deo Patre & Jesu Christo filio eius unico Salutem, & perpetua hereditatis benedictionem.*

**O**dorem religionis vestræ plurimis indicijs agnoscens, calamitates quas patior decrevi potissimum vobis aperire: ut quanto vicinius allistitis Creatori, tanto familiarius angustias meas in conspectu eius valeatis indicare, & indicantes compassionis gemitibus ipsius misericordiam mihi impetrare. Defuncto beatae memoriæ prædecessore meo *Lanfranco* Archiepiscopo, cum in Narmanniâ *Beccensis* monasterij abbas extitisset (unde & præfatus antecessor meus ad regendam Ecclesiam, cui Deo authore præsidio ante me processerat) occulto Dei iudicio, pro utilitatibus Ecclesiasticis in Angliam veni. Quò venientem tam Rex quàm Pontifices regni que optimates, ad Cathedram Pontificalem, non vocando, non rogando (ut fieri assolet) immò violenter rapiendo pertrahunt: Clero & populo acclamantibus in idipsum; ut nec unus, cui quod gerebatur displiceret, visus fuerit interesse. Denique cum adhuc id nolle, nec assentire me debere occlamarem, quòd de potestate *Normanni* Ducis, quòd de subiectione Metropolitanis *Rothomagensis*, ipsis ignorantibus ereptus essem, (quorum iure effugere enitebar:) eorumdem præfati videlicet Ducis & Archiepiscopi præcepto, onus officij coactus & obediens accepi. Quo pacto in in gradum Pontificalem sublimatus, idcirco assensu, quòd contraire non potui.

Proinde infulatus, sedulè quid Christo, quid ejus Ecclesiæ ( pro loco, pro officio ) deberem, cogitare cœpi: & pastorali regimine vitia refecare, præsumptores coercere, & quæque inordinata ( ut meâ intererat ) ad ordinem debitum volui revocare. Quâ causâ, quos adjutores me oportuerat habere in causâ Dei, terribiliter offensos patior; & quæ per me crescere debuerat, me præsentè deperit causa Dei. Vnde ( Reverendi Patres gemebundè vobis loquens fateor ) invenerunt me amarissima tribulationes; dum & requiem fructuosam me reminiscor perdidisse, & infructuosum periculum me considero incurrisse. Ita etenim peccatis meis facientibus actum est, ut qui nostræ se sponte subdidertant ditioni, à nostrâ sponte resiliant ditione; & qui illis amabilis extiteram, omnibus fermè odiosus existam. Quapropter ( venerandi Fratres, filij charitatis æternæ ) obsecro vos in nomine ejus qui suos inimicos redemit sanguine suo, orate ut in omnibus Deus pacem nobis tribuat, inimicos nostros in gratiam convertat, & secundum suam voluntatem nos vivere faciat.

Præterea, quanquam rectè viventem recteque sapientem, pastorali sollicitudine fraternitatem vestram monere compellor, quatenus viriliter ac vigilantius agat in doctrinâ Dei; canonicâ severitate, si quid cõtra Ecclesiasticam doctrinam in Provincijs suis inventum fuerit, compescens & secundum Dei voluntatem cuncta disponens. Si quando verò ( seu in consecrationibus Episcoporum, seu in Ecclesiasticorum negotiorum causis, seu quibuslibet alijs rationibus ) aliquid quod ad sacram religionem pertineat inter vos ortum fuerit, quod per vos canonicè nequeat definiri: charitatis officio id ad notitiam nostram perferri commonemus; quatenus à nobis potiùs consilium & solatium accipiat, quàm prævaricatores mandatorum Dei in judicium ejus incidatis. Iterum, Charissimi, rogamus vos; orate pro nobis, erigite nos de tribulationibus nostris manu vestræ orationis, pijs fletibus pulsantes aures clementiæ Dei. Dominus, qui *jussit de tenebris lucem splendescere*, 2. Corinth. mentibus vestris infundat lucem sapientiæ; ut quæ jubet intelligatis, 4. 4. intelligentes opere compleatis.

## RE C E N S I O.

*Ex Manuscript. nunc primùm edita est hæc Epistola: in cujus præfatione duo tantùm Episcopi nominatim compellantur, Senior Donaldus & Donatus. e quibus Donaldus ( qui & Dofnaldus & Donaldus ) Primas ille Hibernia fuisse videtur, cujus ad 28. Epistolam jam meminimus. Senior enim apud Latinos mediæ ætatis scriptores ( ut etiam nunc apud Gallos Seigneur ) dignitatis est nomen non atati. Donatus verò Dublinensis ille est, quem Patricio, anno 1084. V. l. Idus Octobris in Britannico Oceano submerso, in Episcopatu successisse, Dublinenses produunt Annales: in quibus etiam mortis ejus tempus ita consignatum legimus. Anno Dom. 1095. Dungus, qui & Donatus, Episcopus Dublinensis in Christo quievit. Vt enim priorem Donatum, qui primus Ostmannorum Dublinensium fuit Episcopus, discriminis gratiâ Dunanum; ita posteriorem hunc Dungum, & Dongum, & Donugum ( deslexo à Donagh vocabulo, quod Hibernicâ linguâ Donatum sonat ) appellatum invenimus.*



EPIST.  
XXXIII.WATERFORDIENSIVM, ad *Anselmum* Cantuariensem  
Archiepiscopum.*Anselmo, Dei gratiâ Anglorum Archiepiscopo, & omnibus diœcesis sue  
Episcopis; Clerus & populus oppidi Waterfordia, cum Rege Murcher-  
tacho & Episcopo Domnaldo, salutem in Domino.*Circa an-  
num 1096.

**P**ater sancte, cæcitas ignorantia nos diù detrimenta salutis nostræ sustinere coëgit; quia magis eligimus serviliter Dominico jugo colla subtrahere, quàm liberaliter Pastoralis obedientia subesse. Nunc autem quantum proficiat Pastorum cura cognoscimus, cùm aliarum rerum similitudines ad mentem revocamus: quòd sine regimine nec Exercitus bellum, nec Navis marinum audet attentare periculum. Navicula ergò nostra mundanis dedita fluctibus, sine Pastore contra callidum hostem quâ ratione pugnabit? Propterea nos, & Rex noster *Murchertachus* & Episcopus *Domnaldus* & *Dermeth* Dux noster frater Regis, elegimus hunc presbyterum *Malchum*, *Warchelini* *Wintoniensis* Episcopi Monachum, nobis sufficientissimè cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apostolicâ & Ecclesiasticâ disciplinâ imbutum, fide Catholicum, prudentem, docibilem, patientem, moribus temperatum, vitâ castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, literatum, in lege De instructum, in Scripturarum sensibus cautum, hospitalem, modestum, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum in gradibus singulis. Hunc nobis petimus à vestrà Paternitate ordinari Pontificem: quatenùs regulariter nobis præesse valeat & prodesse, & nos sub ejus regimine salubriter Domino militare possimus. Ut autem omnium nostrum vota in hanc electionem convenire noscatis; huic Decreto Canonico promptissimâ voluntate singuli manibus proprijs roborantes subscripsimus.

*Ego Murchertachus Rex Hibernia subscripsi.**Ego Dermeth Dux Frater Regis subscripsi.**Ego Domnaldus Episcopus subscripsi.**Ego Idunan Episcopus Midia subscripsi.**Ego Samuel Dublinensis Episcopus subscripsi.**Ego Ferdornachus Laginensium Episcopus subscripsi. &c.*

## RE C E N S I O.

*Habetur tùm in Manuscript. Epistolarum Anselmi volumine, tùm in Ætneri Historia Novella libro 2. ubi totius rei gesta series ita pertextitur. Rex Hibernia Murchertachus nomine, & Domnaldus Episcopus cum cæteris Episcopis, quique Nobiles cum Clero & populo ipsius Insula miserunt nuncios ac litteras ad Anselmum, innotescentes ei Civitatem quandam Waterfordiam nomine in unâ suarum Provinciarum esse; cui ob numerosam Civium multitudinem expediret Episcopum institui, simulque petentes quatenùs ipse (Primatus quem super eos gerebat potestate, & quâ fungebatur vicis Apostolicæ autoritate) sancta Christianitati ac necessariæ plebium militati instituido*

fituendo eis Pontificem subveniret. Iam enim secula multa transierant, in quibus eadem Civitas absque providentiâ & curâ Pontificali consistens, per diversa tentationum pericula jactabatur. Elegerant autem idem ipsi in hoc officium quendam suæ gentis virum vocabulo *Malchum*, eumque sacrandum cum communi Decreto ad Anselmum transmiserunt. Igitur Anselmus considerans & intelligens eos iusta & utilia petere, petitioni eorum libens annuit. Electum ergo Pontificem diligenter in his quæ facta jubet auctoritas examinatum, ac multorum cum vitæ suæ testimonio, dignum Episcopatu comprobatum, sumptâ ab eo ex more de subjectionis suæ obedientiâ Professione, sacra vitæ *Cantuaria* quinto Kal. Januarij; assistentibus & cooperantibus sibi in hoc ministerio suo duobus Episcopis suis, *Radulpho* scilicet Cicestrensi & *Gundulpho* Rosensli. *Malchi* verò Professio, cuius hic fit mentio, post Epistolas habetur, pag. 119.

ANSELMI Cantuariensis Archiepiscopi, ad *Muriardachum* EPIST.  
XXXV.  
Hiberniæ Regem.

*Muriardacho glorioso gratiâ Dei Regi Hiberniæ, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis Salutem cum orationibus, & Dei misericordiâ regi & proregi.*

**G**ratias ago Deo de bonis multis, quæ de vestrà Celsitudine audio Circa ann  
num 1100.  
inter quæ est hoc; quia gentem regni vestri in tantâ pace facitis vivere, ut omnes boni, qui hoc audiunt, Deo agant gratias, & vitæ vestræ diuturnitatem desiderent. Vbi enim pax est, licet omnibus bonam voluntatem habentibus, quod optant sine perturbatione malorû hominum efficere. Vnde vestra Celsitudo, per quam Deus facit, ab eo certissimè magnam retributionem [ poterit ] expectare. Super hoc utique pacis fundamentum facile est alia, quæ Ecclesiastica religio exigit, edificare. Precor itaque bonæ voluntatis vestræ constantiam, quatenus consideret, si qua sunt in regno vestro corrigenda, propter vitæ æternæ præmium; & ut magis ac magis in vobis gratia Dei augeatur, sollicitè Deo adjuvante studeatis emendare. Nihil enim est contemnendum quod corrigi possit. Quia Deus exigit ab omnibus, non solum quod malè agunt; sed etiam quod non corrigant mala, quæ corrigere possunt. Et quanto potentiores sunt, ut corrigant; tanto districtius exigit ab illis Deus, ut secundum potestatem misericorditer impensam bene velint & faciant. Quod maxime videtur ad Reges pertinere: quoniam ipsi cognoscuntur majorem potestatem, & cui minus contradicitur, inter homines obtinere. Si autem non omnia simul potestis; non debetis propter hoc, quin à melioribus ad meliora studeatis proficere: quia bona proposita & bonos conatus Deus solet benigne perficere, & beatâ plenitudine retribuere. Auditur apud nos, quia conjugia in regno vestro sine omni ratione dissolvuntur, & commutantur: quia cognati sive sub nomine conjugij sive alio modo, palàm, sine reprehensione, contra canonicam prohibitionem commisceri non vereantur. Episcopi quoque ( qui debent esse forma & exemplum alijs Canonice religionis ) inordinate, sicut audimus, aut à solis Episcopis, aut in locis ubi ordinati non debent, consecrantur. Hæc, & alia quæ *Mal-*  
Vsserij Epist. Hibern.

gnitadinis vestra prudentia in *Hiberniâ* corrigenda cognoverit, precor, obsecro, & confulo sicut illi quem valde diligo, & cujus profectum per omnia desidero; quatenus consilio bonorum virorum & sapientium regni vestri corrigerere studeatis: & Deum oro, ut de regno terreno ad regnum cœleste transeatis. Amen.

## R E C E N S I O.

*Inter editas habetur, lib. 3. epist. 142. Est autem Muriardachus hic, idem cum precedenti epistola Murchertacho; qui (nisi me fallo) Rex Lagenensium est, a Murchardus, pater Dermittij illius qui Anglos ab debellandam Hiberniam primus feliciter, & paterna memor injuria, summo Dublinenses profectus est oratio. In medio namque domus cujusdam grandis, \* ubi tanquam in foro pro rostris federe consueverant, patrem ipsius interemptum, damno dedecus annectentes, cum cane cives tumulaverant: ut in libro 1. Expugnationis Hibernia cap. 17. refert Giraldus Cambrensis. Perpetratum est hoc facinus anno salutis 1120. ad quem in Britannico Chronico annotat Caradocus Lhancarvanensis, decessisse Murchardum, dignissimum & maximum totius Hibernie Principem. & Thadaus Doulingus, Leghlinensis Ecclesia nuper Cancellarius, in Hibernicis suis Annaibus. Murchardus serenissimus Lagenie in Hiberniâ Princeps, fidus amicis, terribilis inimicis, alienis liberalis, à subditis propter ejus bene meritam pietatem & iustitiam præ cæteris amandus, obiit & apud Fernes sepelitur. Ad hunc quoque spectat illa Giraldi, in Itinerarij Cambria lib. 2. cap. 1. narratio. Guilielmus Guilielmi Regis Bastardi filius & Normannorum in Angliâ rex secundus, qui Rufus est agnominatus, Cambriam suo in tempore animose penetrans & circumdans, cum à cupidibus Hiberniam fortè prospiceret, dixisse memoratur: Ad terram istam expugnandam ex navibus regni mei huc convocans, pontem adhuc faciam. Quo verbo ad Murchardum Lagenie tunc Principem in Hiberniam fortè translato, cum aliquandiu propensius inde cogitasset, fertur respondisse: Nunquid tantæ cõminationis verbo Rex ille, Si Deo placuerit, Adjecit? Audito verò quod nullâ prorsus Dei mentionem in hoc suo Rex sermone fecisset, tanquam prognostico gaudens certissimo. Quoniam, inquit, homo iste de humanâ tantum confidit potentiâ, non divinâ; ejus adventum non formido.*

\*The Tolseale.

*a Vel Muriarsach sive Mauritius ò Tulus, Pater Laurentij Dublinensis Archiepiscopi, de quo infra in Epistola 48. recensione, ad quem etiam referri possunt, qua ex Caradoco, Doulingo, & Itinerario Giraldi subsequuntur.*

## E I V S D E M, ad eundem.

EPIST.  
XXXVI.

*Muriardacho glorioso Regi Hibernia. Anselmus Archiepiscopus, servus Ecclesie Cantuariensis, fidele cum orationibus obsequium, & per regnum terrenum mereri cœleste.*

Q Vonia multa de vestra Excellentiâ prædicantur, quæ Regiam decent dignitatem, valde gaudemus; & Deo, à quo est omne bonum, devotas exinde gratias agimus. Confidimus autem, quia qui vobis contulit gratiam suam in faciendis bonis quæ fecistis, conferet quoque effectum perficiendi ea, quæ super illa quæ facitis, eum velle cognoscitis. Quapropter (gloriose Fili, & in Deo charissime) precor, ut ea quæ in regno vestro secundum Christianam religionem emendanda cognoveritis, omni instantiâ & sollicitudine emendetis. Ad hoc enim Deus in Regali sublimitate vos constituit; ut virga æquitatis subditos popu-

hos gubernetis, & quidquid in eis iustitiæ adversatur, eadem virga percütatis & amoveatis. Et quidem quiddam dicitur fieri in ipso populo, quem regendum suscepistis, quod magnopere corrigendum est: quia Christianæ religioni omnimodis contrarium est. Dicitur enim, quoddam viri ita liberè & publicè uxores suas aliorum commutant, sicut quilibet equum equo, aut quamlibet aliam rem re alia ab illo commutat; aut pro libitu, & sine ratione relinquunt. Quod quàm malum sit, omnis qui Christianam legem novit, intelligit. Si igitur Excellentia vestra divinarum Scripturarum sententias, quæ huic infami negotio obviant, per se legere non valet; præcipite Episcopis & religiosis Clericis, qui in vestro regno sunt, ut eas vobis edicant: quatenus eis cognitis, quo studio vobis invigilandum sit, ut hoc malum corrigatur, cognoscatis. Item dicitur, Episcopos in terra vestra passim elegeri, & sine certo Episcopatus loco constitui: atque ab uno Episcopo Episcopum, sicut quemlibet presbyterum, ordinari. Quod nimirum sacris Canonibus omninò contrarium est: qui eos, qui taliter instituti sunt aut ordinati, cum suis ordinatoribus ab Episcopatus officio deponi præcipiunt. Episcopus namque nisi certam parochiam & populum, cui superintendat, habeat, constitui secundum Deum non potest: quia nec in secularibus nomen vel officium Pastoris habere valet, qui gregem, quem pascat, non habet. Honor quoque Episcopalis non parum vilescit, dum is ad Pontificatum assumitur, qui ordinatus, quò divertat, vel cui per Episcopale ministerium certò præsideat, nescit. Minus quoque quàm à tribus Episcopis ordinari non debet: cum propter multas & alias rationabiles causas, quas epistolæ brevitatis non admittit, tum, ut fideles, vita, & sollicitudo eius, qui invigilare debet, idoneis & legalibus testibus comprobetur. Precor itaque, hortor, & moneo; quatenus Excellentia vestra operam det, ut ista in regno suo corrigantur: quatenus merces, quam à Deo pro alijs bonis \* expeditis, pro istis vobis augeatur. Caterùm si quid in vobis, aut in his quos regere suscepistis, quod ullatenus voluntati Dei adversari queat, perpenderitis, sollicitè emendare satagite: ut cum de terreno regno transibitis, ad cœleste regnum veniatis. Amen. De fratre nostro *Cornelio*, quem sibi Celsitudo vestra mitti rogavit, dico, quia ita occupatus est circa servitium patris sui, ut nec ab eo queat sine periculo vitæ illius separari, nec eum, qui jam senio confectus est, secum ullatenus ducere.

\* expeditis,  
vel, expeditis.

## RECENSIO.

Si cui minùs videatur verisimile, eiusdem argumenti ad eundem secundas esse missas litteras, nulla priorum mentione factâ: sciat, eodem tempore regnasse quoque Murchertach, sive Murchertach O Briain; qui Terdelvaco O Briain in summo Hibernia principatu anno 86. successit. Eius in Regum Mannia Chronico huiusmodi fit commemoratio. Anno 1089. Omnes proceres Insularum audientes mortem Lagmanni, miserunt legatos ad Murcardum O Brien Regem Hiberniæ, postulantes ut aliquem virum indultrium de regali stirpe in regem eis mitteret, donec Olavus filius Godredi cresceret. Annuit eis Rex libentissime, & quendam Dopnaldum filium Tade ad eos misit: monens & præcipiens ei, ut eum omni benignitate & modestia regnum, quod

sibi non debebatur, gubernaret. Sed ille postquam ad regnum pervenit, parvipendens præcepta sui Domini, cum magna tyrannide abusus est regno, & multis sceleribus perpetratis, tribus annis enormiter regnavit. Tunc omnes principes Insularum unâ conspiratione commoti, adversus eum congregati sunt, & expulerunt à finibus suis. Ille autem fugiens ad Hiberniam, non est ultra reversus ad eos. *Hanc verò Epistolam, inter reliquas Anselmi, lib. 3. epist. 147. Ioannes Picardus edidit; & annotationes adiecit.*

EPIST.  
XXXVII.

MURCHARDACHI Hiberniæ Regis, ad *Anselmum*  
Cantuariensem Archiepiscopum.

*Murechardacus Rex Hiberniæ, Anselmo, Anglorum Archiepiscopi  
salutem & fidele servitium.*

**Q**uam magnas vobis grates (Domine) referre debeo; quòd, sicut mihi relatum est, memoriam mei peccatoris in continuis vestris peragis orationibus: sed & genero meo *Ernulfo* auxilio & interventio-  
ne (quantum fuerat dignitati vestræ fas) succurristi. Scias tu quoque, me vobis in his quæ mandaveris famulaturum. Vale.

RECENSIO.

*Ernulfus, quem generum suum hic appellat Murchardachus, est Arnulphus de Monte Gomerico, primus Penbrochia expugnator, & regionis illius (quæ Dyveta & Occidentalis Vallia appellatur) Dominus, filius Rogeri de Monte Gomerico primi Salopia & Arundelia Comitis. De eo Giraldus Cambrensis, in Itinerarij Cambria lib. 1. cap. 11. Primus Penbrochia castrum Arnulphus de Montgomery sub Anglorum rege Henrico primo, ex virgine & cæspite tenui, satis exile confluxit. Quod postmodum in Angliam revertens viro probo prudentique Giraldo de Winclesorâ Constabulario suo primipiloque cum paucis custodiendum exposuit. illi nimirum Giraldo, à quo Kildaria & Desmonia Comites, aliaque in Hiberniâ Giralduorum familia, genus repetunt suum. Arnulphus postea simul cum fratre Roberto de Bolismo Comite Salopiensi ab Henrico I. deficiens, ut auxiliariis contra regem suum copis magis firmaretur, in Hiberniam traiecit, & Murchardi sive Murchardachi regis filiam uxorem duxit: quem admodum in anni 1101. & 1102. historia confirmat Caradæus Lhancarvanensis. Conjuracionis verò exitum Guilielmus Malmesburienfis libro 5. de Regibus ita explicat. Robertus cum fratribus, Ernulpho (qui paternum cognomen sortitus fuerat) & Rogerio Pictaveni (quòd ex eâ regione uxorem acceperat sic dicto) Angliam perpetuo abjuravit: sed vigorem sacramenti temperavit adjectio; nisi Regi placito quandoque satisfecisset obsequio. Quæ historia ad huius necessaria est intellectum epistolæ, quod ex Manuscripto epistolarum Anselmi volumine descripsimus.*

EPIST.  
XXXVIII.

ANSELMI Cantuariensis Archiepiscopi, ad *Malchum*  
Waterfordiensem Episcopum.

Circa an-  
num 1110.

*Anselmus Archiepiscopus Cantuarie, amico & Coepiscopo Malcho Waterfordensi Salutem & benedictionem.*

**A**vdivi, quòd Dominus *Samuël* Episcopus *Dublinensis* monachos Ecclesiæ *Dubline*, aut nullâ aut parvâ occasione, eiecit; nec pro

ulâ satisfactione vult recipere : & quod, contra consuetudinem, Crucem facit gestari ante se in itinere ; & quod res Ecclesiæ illius ab Archiepiscopo *Lanfranco* datas velut proprias distribuit. De his omnibus illi nostras mitto litteras : & populo ejusdem Civitatis mando, ut prædictarum rerum distributionem prohibeat. Et quoniam non invenio per quem litteras nostras illi aptius mittam : precor fraternitatem vestram, quatenus eas illi per præsentiam vestram exhibeatis ; ut eum charitative vivâ voce, ut monitioni nostræ quam illi scribimus assensum præbeat, rogando & consulendo moneatis. Valete.

## RECENSIO.

*Ex eodem Manuscripto in quo circiter 90. Anselmi adhuc inedita continebantur epistola. De Malchi ad VVaterfordiensem Episcopatum electione XXXIV (suprà pag. 9) agebat Epistola. Neque VVaterfordie solum sed etiam vicina Lismoria erat ille Episcopus. Unde senior Lesmorensis (ea senioris nomine, quam ad XXXIII. epistola e πηγασλῷ aperuimus) in vita discipuli eius Malachia à Bernardo appellatur: ubi etiam de Malcho hæc, inter alia complura, memorantur. Iic erat senex plenus dierum & virtutum : & sapientia Dei erat in illo. Natione quidem Hibernus, sed in Angliâ conversatus fuerat in habitu & proposito monachali in Vintoniensi monasterio : de quo assumptus est in Episcopum in Lesmor civitate Mumoniæ, & ipsa nobiliore inter ceteras regni illius. Ibi tanta ei desuper collata est gratia, ut non modo vitâ & doctrinâ, sed & signis clareret.*

## Ejusdem, ad Samuëlem Dubliniensem Episcopum.

*Anselmus Archiepiscopus Cantuarie, venerabili fratri Samuëli Dublinæ Civitatis Episcopo Salutem.* EPIST.  
XXXIX.

**A**Vdivi, quod libros & vestimenta & alia ornamenta Ecclesiæ, quæ Dominus *Lanfrancus* Archiepiscopus dedit avunculo tuo Domino *Donato* Episcopo ad opus Ecclesiæ, cui tua fraternitas præsidet, tu pro voluntate tua exponis, & ea extraneis dis. Quod si verum est miror cur ita facias : cum ipsa ornamenta non ei sed Ecclesiæ data sint ; sicut fratres *Cantuariensis* Ecclesiæ filij attestantur : unde moneo, & monens rogo te ; quatenus si aliquid de prædictis rebus extra Ecclesiam datum est, celeriter illud restitui facias. Item audivi, quod monachos, qui in ipsa Ecclesia ad serviendum congregati erant, expellas & dispergas ; nec redire volentes ullatenus recipere velis. Quod si ita est, non te decet : officij siquidem tui scitur esse, magis dispersa congregare, quam congregata dispergere. Quapropter mando tibi, ut si aliqui abjecti sunt, & redire volunt, seseque in Dei servitio sub obedientiâ custodire ; eos suscipias, & salutem eorum per paternum affectum studiosè intendas : nisi (quod absit) huiusmodi causa in illis obsistat, quæ hoc fieri omninò prohibeat. Præterea audivi, quia facis portari Crucem ante te in viâ. Quod si verum est ; mando tibi ne amplius hoc facias : quia non pertinet nisi ad Archiepiscopum à Romano Pontifice pallio confirmatum ; neque decet te, ut ullâ præsumptione insolita rei te notabilem & reprehensibilem hominibus ostendas. Vale.

## RECENSIO.

Cum alij Anselmi, lib 3. epist. 72. Ioannes Picardus divulgavit, & notas adiunxit: in quibus tamen illud pronuntiatum necessario est castigandum. Hiberniæ Episcopos ab Archiepiscopo Eboracensi, duobusque Episcopis quos debet Cantuariensis Archiepiscopus mittere, esse inaugurandos. qua hallucinatio non aliunde quam ex crasso illo eiusdem in notis ad 149 epistolam processit errore, insularum Orcadam nomine Hiberniam & Scotiam contineri. De Donato, cuius hic mentio, Samuelis nunculo & in Dublinensi episcopatu proximo antecessore, ad epistolam 33. dictum est aliquid. Consecrationis eius memoria in Castuariensibus Annalibus ita est consignata. Lanfrancus, ordinationis sue sextodecimo anno, sacravit Donatum monachum suum Cantuarie ad regimen Dubliniæ, petente Rege, Clero & populo Hiberniæ; quibus etiam literas exhortatorias misit. & in Dublinensibus: Anno Domini 1085. Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis ad regimen Dublinensis Ecclesiæ sacravit Donatum monasterij sui monachum, in sede metropoli Cantuarie; petentibus atque eligentibus cum Terdilvaco Hiberniæ Rege, & Episcopis Hiberniæ regionis, atque Clero & populo præfata Civitatis. Quo eodem etiam anno ipsum Terdilvacum regem mortuum esse, in Euellianis Annalibus legimus: in quibus Tairdelbach mac Taidg mac Briain nominatur. Donato verò anno 1095. vita functo successor datus est Samuel: de quo Eadmerus in Nouella Historia 2. libro. Venit ad Anselmum quidam monachus Cœnobij sancti Albani, natione Hibernensis, nomine Samuel. Hic defuncto bonæ memoriæ Donato Dublinæ Civitatis Episcopo, à Rege Hiberniæ Muriardach nomine, necnon à Clero & populo in Episcopatum ipsius Civitatis electus est, atque ad Anselmum, iuxta morem antiquum, sacrandus cum communi Decreto directus. Quorum electioni & petitioni Anselmus annuens, hominem aliquandiu secum honorificè detentum, necnon qualiter in domo Dei conversari deberet diligenter instructum, sumptâ ab eo de Canonica subiectione sua ex antiquo more Professione, promovit in Episcopatus officium Vintoniæ, octavâ die subsequenti Paschæ ministrantibus sibi in hoc officio quatuor Episcopis suffraganeis suis. Qui novus Pontifex tanti Patris benedictione, ac literarum præfati Regis Clero quoque ac plebi Hiberniæ, pro testimonio suæ consecrationis scriptarum astipulatione roboratus, in patriam suam cum gaudio revertitur, atque in sedem suam cum honore pro usu suscipitur ter x. Habetur hic, pag. 119. tum Donati tum Samuelis Professio: Verum Lanfrancus & Anselmi cum eis missa littera interierunt.

EPIST.  
XL.

DUBLINIENSIVM, ad Radulphum Cantuariensem  
Archiepiscopum.

Anno Christi  
Mii 1121. Domino reverentissimo ac religiosissimo, Radulpho Archiepiscopo Cantuarie,  
omnes Burgenses Dublinæ Civitatis, cunctusque Clericorum  
convenit, æternam optant Salutem.

CUM te, Sancte Pater, pro merito summæ pietatis plurimi venerentur; & omnibus fidelibus, causa magnæ fidei & sanæ doctrinæ, honorabilis atque amabilis existas: congruûm esse iudicamus, ut Gregorium nostrum electum, Dei gratiâ, ad vos mittamus. Antecessorum enim vestrorum magisterio semper nostros libenter subdimus, à quo recordamur nostros accepisse dignitatem Ecclesiasticam. Sciatís vos reverâ, quod Episcopi Hiberniæ maximum zelum erga nos habent, & maxime ille Episcopus qui habitat Ardinnacha; quia nos nolumus obe-

dire eorum ordinationi, sed semper sub vestro dominio esse volumus. Accirco vestra suffragia supplices petimus, quatenus *Gregorium* ad sacrum ordinem Episcopatus promoveatis; si amplius illam parochiam, quam multo tempore vobis servavimus, retinere volueritis. Vale.

## R E C E N S I O.

*De Gregorij ordinatione ita scripsit, qui tum vixit, VVigorniensis monachus, Florentij Continuator. Anno 1121. Clericus quidam natione Hibernensis nomine Gregorius, à Rege Hiberniæ, Clero & populo, in Episcopatum Dublinæ civitatis electus, Angliam venit antiquo pro more ordinandus ab Archiepiscopo Cantuariensi, Anglorum Primace. Quem, ex præcepto eiusdem Archipræsulis, Rogerus Saresberien Episcopus apud castellum suum quod vocatur Divisio VIII. Calend. Octobris, Sabbato, ad diaconatus & ad presbyteratus promovit gradum. Ordinatus est autem Episcopus. VI. Nonas Octobris, Dominicâ, apud Lambhitham à Radulpho Cantuariorum Pontifice. Eiusque consecrationi interfuerunt Episcopi, Richardus Lundoniæ, Rogerus Saresberien, Robertus Lincolnæ, Everardus Norwicensis, & David Bangornensis. Dubliniensium Episcoporum postremus hic fuit, & Archiepiscoporum primus: vitaque supremum egit, diem, VIII. Id. Octobr. (ut habetur in Necrologio Ecclesiæ S. Trinitatis Dublin.) anno 1161. Hanc vero Dubliniensium Epistolam, ad calcem Collectionis Decretalium Isidori Mercatoris, in Cottoniana Bibliotheca invenimus.*

HENRICI I. Anglorum Regis, ad eundem Radulphum.

EPIST.  
XLI.

*Henricus Rex Angliæ, Radulpho Cantuariensi Archiepiscopo,  
Salutem.*

Circa An-  
num 1122.

**M**andavit mihi Rex *Hiberniæ* per Breve suum, & Burgenses *Dublinæ*, quod elegerunt hunc *Gregorium* in Episcopum, & cum tibi mittunt consecrandum. Vnde tibi mando, ut petitioni eorum satisfaciens, eius consecrationem sine dilatione expleas. Teste Radulpho Cancellario apud *VVindelfor*.

## R E C E N S I O.

*Superiori epistola in eadem Collectione subjunctum erat hoc Breve regis Henrici I. Nam ut Latini Brevia, sic etiam eorum exemplo recensores Græci Βρεβία, breviam huiusmodi Regum scripta appellant: & ut apud Græcos (quemadmodum alibi à nobis ad hoc ipsum Rescriptum ex Eustathio est observatum) κεινὸν non est semper διοποτικὸν λέξις, sed aliquando respondet τῷ ἀξιῶν καὶ τῷ σημαίνω, ita & Mandandi vocem eodem sensu usurpant aliquando Latini. quemadmodum tum paulo ante in 38. & 39. epistola, tum manifestissime in hac præfente licebit animadvertere. Nam, ut in libro 5. de gestis Regum Anglorum Guilielmus Malmsburiensis retulit, Hiberniensium regem Murcardum & successores eius, quorum nomina fama non extulit, ita devotos habuit Henricus I. ut nihil, nisi quod eum palparet, scriberent, nihil, nisi quod iuberet, agerent. & tamen scribit hic ille, sibi mandavisse Regem Hiberniæ per Breve suum; hoc est, significavisse.*

EPIST.  
XLII.  
BERNARDI Claravallensis Abbatis, ad Malachiam  
Hiberniæ Episcopum.

Circa an-  
num 1140. *Venerabili Domino & beatissimo Patri Malachia, Dei gratiâ Hibernien-  
sium Archiepiscopo, Apostolica sedis legato; frater Bernardus Clareval-  
lis vocatus Abbas, invenire gratiam apud Dominum.*

**I**Nter multiplices ætus & curas pectoris mei (præ multitudine qua-  
rum, anima mea turbata est valde) fratres de terrâ longinquâ venien-  
tes ut serviant Domino, Epistola tua, & baculus tuus ipsa me consolata  
sunt. Epistola in ostensione bonæ voluntatis, baculus ad sustentandum  
corpus infirmitatis, fratres qui Deo servant in spiritu humilitatis. Om-  
nia suscepimus, omnia placent, omnia pariter cooperantur in bonum.  
Quod autem voluistis duos de fratribus mitti vobis ad prævidendum lo-  
cum: communicato cum fratribus consilio, diximus non eos separan-  
dos abinvicem, donec plenius in eis firmetur Christus, donec ad inte-  
grum doceantur præliari prælia Domini. Cùm igitur fuerint in scholâ  
sancti Spiritus eruditi, cùm indui virtute ex alto, tunc demùm ad Pa-  
trem filij revertentur, ut cantent canticum Domini, non iam in terra alie-  
na, sed in suâ. Vos autem interim, iuxta sapientiam vobis datam à Do-  
mino, secundùm habitudinem locorum quæ vidistis apud nos, prævide-  
te & præparate eis locum à tumultibus sæculi separatum. Tempus enim  
propè est, in quo vobis (operante Dei gratiâ) novos de veteribus ho-  
mines producemus. Sit nomen Domini benedictum in sæcula, de cu-  
jus munere venit ut communes habeam filios vobiscum; quos vestra  
prædicatio plantavit, nostra exhortatio rigavit, Deus autem incremen-  
tum dedit.

Sanctitatem vestram rogamus, ut verbum Domini prædicetis, Addan-  
dam scientiam salutis plebi eius. Duplex enim vobis incumbit necessi-  
tas, & ex officio legationis, & episcopali negotio. De cætero, quoniam  
in multis offendimus omnes, & inter homines sæcili frequenter positi  
multum de pulvere mundi contrahimus: vestris & vestrorum orationi-  
bus me commendo, ut in fonte misericordiae suæ nos lavare & ema-  
culate dignetur ipse fons pietatis Iesus Christus, qui dixit Petro; *Nisi  
lavero te, non habebis partem mecum.* Sed & hoc ipsum non solùm præ-  
cipibus, verumetiam quasi ex debito requiro, cum ego clamen ad Do-  
minum pro vobis, si quid possit peccatoris cæcitas. In Domino valete.

## RECENSIO.

Hæc, & duæ sequentes ad Malachiam missæ, inter editas Bernardi epistolæ habentur numero 315, 36. & 317. Frustrâ verò à Joanne Picardo (in notis ad Anselmi lib. 3. epist. 72) injectus est scrupulus: quomodo Bernardus Malachiam in eius Vita nominet Archiepiscopum; quum factus sanctus is fuerit anno 1148. biennio scilicet ante Pallia in Hiberniam per Joannem Páparovem Romane Sedis legatum delata. ni forsan, inquit, dicas, quod Balzum de Malachiâ loquentem scripsisse rucolo, nempe quod obtinendi

obtinendi Pallij gratiâ Romam accessisset. Verum penes auctorem sua fides esto. Atqui minimè erat opus Balaam hic testem advocare: hujus rei fides penes ipsum Bernardum est, qui Roma Pallium ab eo petatum, nec tamen impetratum fuisse narrat. Metropolitica enim sedi (ait ille) dederat adhuc & defuerat ab initio Pallij usus; quod est plenitudo honoris. Sed ante accepta Pallia, Armachanos antistites iam inde ab initio Archiepiscopos extitisse & Metropolitanos totius Hiberniæ, atque ad id novæ suæ auctoritate Metropoles instituisse, ex eadem Malachia Vita à Bernardo descripta manifestus est, quàm ut in quæstionem vocari debeat. Celsus enim Armachanus non modò Archiepiscopus ibi appellatur atque Metropolitanus: sed & insuper additur. Erat & altera sedes Metropolitana, quam de novo constituerat Celsus; primæ tamen sedi & illius Archiepiscopo subdita, tanquam Primati. De eodem quoque Celso ibidem legitur. Cognoscens quia moreretur, fecit quasi testamentum, quatenus Malachias deberet succedere sibi; quod nullus videretur dignior qui episcoparetur in sede prima. Et post. Anno ætatis suæ tricesimo octavo pauper Malachias, pulso incubatore, intravit Ardmacham Pontifex & Metropolitanus totius Hiberniæ. Illud potius dubitationem hic movere posset: quod quum tertio post anno Malachias relicto Archiepiscopatu, Dunensis Episcopatus administrationem susceperis, ac deinde anno 1137. Romam ad Innocentium II. profectus. Pontifici in Hibernia legatus primùm constitutus fuerit: in hujus tamen Epistola inscriptione simul Hiberniensium Archiepiscopus & Apostolicæ sedis legatus saluetur, nisi forte Archiepiscopi nomen, pro Episcopi, in editis codicibus irrepisse putandum sit: vel Archiepiscopi delatum fuisse illi titulum, quod nuper eo honore fuisse functus, & jam legatus factus parem aut etiam majorem dignitatem adhuc obtinere existimaretur.

## EIVSDEM, ad eundem.

EPIST.  
XLIII.

*Malachia Dei gratiâ Episcopo, sedis Apostolica legato, frater Bernardus  
Clavallis vocatus abbas, si quid potest peccatoris oratio,  
& si quid pauperis devotio prodest.*

**F**ecimus quod præcepit sanctitas vestra; etsi non ut dignum, profecto ut possibile pro tempore fuit. Tanta apud nos ubique malitia grassatur; ut vix id tantillum quod factum est, fieri licuerit. Misimus tam exiguum seminis quod videtis, ad seminandum vel modicam partem agri illius, in quem verus Isaac quondam exierat ad meditando; cum primùm adducta est ei Rebecca per puerum Abraham pereni conjugio feliciter copulanda. Nec contemnendum semen, de quo illud in patribus vestris experimur implere: *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen quasi Sodoma fuissetis, & sicut Gomorrha similes essemus.* Itaque ego seminavi, rigate vos, & Deus incrementum dabit. Sanctos omnes qui apud vos sunt, per vos salutamus: humiliter ipsorum nos & sanctis vestris orationibus commendantes. Valet.

Genes. 24.  
63.Rom. 9 29.  
1. Cor. 3. 6.

## RECENSIO.

De prima Cisterciensium monachorum ex Clavallensi cœnobio in Hiberniam missionis agit hæc Epistola; cujus historiam ipse Bernardus sic enarrat, de reditu Malachia ab itinere Romano sub Innocentio II. verba faciens: Revertens per Clavamvallem, suam secundam nobis largitus est benedictionem. Et alta suspiria trahens, quod non liceret sibi pro suo desiderio remanere: Hos, inquit, intetum pro me oro ut retineatis, qui à vobis discant quod nos postmodum doceant. Et infert. Erant nobis in semina; & in  
Vflerij Epist. Hibern.

K

semine isto benedicentur gentes: & illæ gentes quæ à diebus antiquis monachi quidem nomen audierunt, monachum non viderunt. Et dimissis quatuor à latere suo, abiit. Qui probati & digni inventi, monachi facti sunt. Post aliquod tempus cum iam sanctus esset in terrâ suâ, misit alios: & factum est de illis similiter. Quibus per aliquantum tempus instructis & eruditis corde in sapientiâ, dato eis in patrem sancto fratre Christiano, qui erat unus ex ipsis, emisimus eos; adiungentes de nostris, quanti sufficerent ad numerum abbatiz. Quæ concepit & peperit filios quinque: & sic multiplicato semine, augetur indies numerus monachorum, iuxta desiderium & vaticinium Malachiz. Illa reliquarum mater Abbatia Mellifontis fuit in Armachanâ diocesi posita: de cujus extruitione (quinquennio post Hib. vniuersales monachos in Clarâ-vallè relictos facta) in Annalibus à Thomâ Casæo editis ita legitur. Anno 1142. fundatur abbatia Mellifontis. Donato rege 4 Vrgalliz terras & possessiones donante, Malachiâ Episcopo procurante, ad quam regendam Bernardus abbas Clarevallenensis misit conventum de illis quos Malachias, in b Clarevalle ad addiscendum ordinem reliquerat, & postea miserat: dato eis in patrem fratre Christiano. Hinc, circa annum 1144. propagatum est canobium Nevoracense, de Viridi ligno appellatum, & ab ipso Malachia Episcopo fundatum. Deinde anno 1146 XIV Ianuar. apud Midenses, Lieltrede, Latinis de Beatitudine, vulgo Bective dictum, ac demum anno 1148. XVI. Augusti, Buellium in Tuamensi diocesi, Boyle hodie vocitatum. Atque has tres filias, vivente Malachia, enixa est Mellifontis abbatia: quibus, Bernardo adhuc superbite, circa annum 1151. duæ videntur accessisse alia: de Valle Salutis, sive Balinglas in agro VVickloensi, & Magio sive Nenay in Limiricensi. Nam Rupensem prope Casiliam, licet Mellifontis filia & ipsa fuerit, posteriorum tamen fuisse temporum, in fine Notitiæ Canobiorum Cisterciensium Hibernia & Cassiliensium Archiepiscoporum Catalogo ostendit D. Iacobus VVaraus eques auratus, in hoc studiorum genere versatissimus.

\* Vriell.

b Clair-  
vaux.EPIST.  
XLIV.

## EIVSDEM, ad eundem.

*Amanissimo Patri & Domino reverentissimo Malachia Dei gratiâ Episcopo, sancta & Apostolica sedis legato, suus sanctitatis frater Bernardus Clarevallis vocatus abbas, Salutem, & qualescunque nostras orationes.*

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine Pater, quam iucunda tuæ memoriæ sanctitatis! Si quid affectionis, si quid devotionis, si quid animi in nobis est: totum sine dubio, sibi vendicat tuæ dilectionis charitas. Nec opus est verborum multitudine, ubi multum viget affectus. Confido enim quod testimonium perhibeat spiritui tuo spiritus quem habes à Deo, tuum esse modicum id quod sumus. Tu quoque, Pater amantissime & desiderantissime, ne tradas oblivioni animam pauperis, charitatis nexibus adhaerentem tibi; & animam pauperis tui ne obliviscaris in finem. Neque enim quasi de novo commendamus nos tibi; cum in multo jam tempore glorieremur in Domino, quod invenire meruit parvitas nostra gratiam in oculis sanctitatis tuæ: sed oramus ut dilectio, iam non nova, novis quotidie proficiat incrementis.

Filios nostros, imò & vestros, tanto obnixius commendamus vobis, quanto ampliùs remoti sunt à nobis. Vos scitis, quoniam tota post Deum fiducia nostra fuit, ut mitteremus eos: quoniam sanctitatis vestræ precibus non acquiescere illicitum videbatur. Facite quod vos decet; ut to-

tis visceribus charitatis amplectamini eos & foveatis. Nequaquam occasione aliquâ circa eos sollicitudo & diligentia tepescat; & pereat quod plantave dextera tua. Iam quidem quia bene proficit domus, & ex vestris litteris, & ex fratrum nostrorum relatione didicimus; multiplicata tam in temporalibus, quàm in spiritualibus. Vnde & congratulamur plurimum, & toto animo gratis agimus Deo & paternâ sollicitudini vestrâ. Et quoniam multâ adhuc opus est vigilantia (tanquam in loco novo, & in terrâ iam infuetâ, immò & inexpertâ monasticâ religionis:) obsecramus in Domino ne retrahatis manum vestram, sed quod bene incepistis, optimè perficiatis. De fratribus nostris qui redierunt à loco illo, nobis bene placuisset si remansissent. Et fortasse nonnullam occasionem præbuerunt eis, fratrum qui de terrâ sunt minùs disciplinati mores; in eo maximè, quòd minùs facilè eorum consilij acquiescere videntur in his rebus quarum priùs fuerant inexperti.

Charissimum filium nostrum *Christianum* & vestrum remisimus ad vos, quantum potuimus instructum plenius in his quæ ad ordinem pertinent, de cæterò circa observantias eius sollicitiorem futurum, ut speramus. Nec miremini, quòd non plures cum eo misimus fratres: quoniam nec idoneos invenimus fratres qui facilè acquiescerent, nec invitos cogere consilium fuit. Dilectissimus frater noster *Robertus* precibus nostris acquievit etiam hac vice, tanquam filius obedientiæ. Vestrum erit iuvare eum; ut possit iam & in ædificiis & in cæteris necessariis promoveri domus vestra. Illud quoque paternitati vestræ suggerimus; ut viris religiosis, & quos speratis utiles fore monasterio, persuadeatis quatenùs ad eorum ordinem veniant: quoniam hæc erit summa utilitas domus, & vobis faciliùs acquiescent. Valeat sanctitas vestra, nostri semper memor in Christo.

## - RECENSIO -

*De Clavavallensibus monachis in Hiberniam missis, etiam in hac epistola agit Bernardus: ut & in 205. a ad Rossensem episcopum. Retribuat vobis Dominus in vitam æternam, quòd viscera nostra refovistis: filios nostros loquor, quos misimus in Hiberniam ad ejus loci illustrationem, à Joanne Picardo in Notis duo producuntur testimonia: ex Godofrido unum, in Vita Bernardi libro 3. (al. 1.) cap. 6. scribente, superesse ejus monumenta etiam apud Soles occiduos Hibernorum; ex quinta distict cap. 2. veterum rituum à Cisterciensibus servatorum, hoc alterum. Abbates de Hiberniâ tribus annis remaneant, & quarto anno veniant ad Capitulum: & Abbas Mellifontis ita ordinet, ut aliqui eorum singulis annis veniant ad Capitulum. Primus autem Mellifontis Abbas fuit Christianus Conarobius, cujus in hac epistola 42. fit mentio: frater Malchi, non VVaterfordiensis illius & Lismorensis Episcopi, ad quem 34. & 35. spectavit epistola; sed alterius, cujus in vitâ Malachia ita meminit Bernardus. Frater est iste secundum carnem Christiani nostri Mellifontis abbatis: ambo enim superstites adhuc sunt, sibi in spiritu modò germaniores. Priori verò Malcho in Lismorensi episcopatu, ut & Malachia in Pontificis legatione successit ipse Christianus: quem duabus generalibus Hibernia Synodis præfuisse legimus; Mellens anno 1152. & Cassiliensi anno 1172. celebratis. Cui & tertius ille conventus addi poterit, de quo in Annalibus Casæus. Anno 1157. Ecclesia Mell dedicatur: in cuius dedicatione fuerunt isti venerabiles patres. Christianus Episcopus Lismorensis, totius Hiberniæ legatus, qui fuit primus Abbas ejusdem Ecclesiæ; Gelasius Annachanus, Gregorius Dublinensis, Edanus Tu-*

mensis, Archiepiscopi, cum suis suffraganeis, XVIII. Abbatibus, & Prælatiis ferè totius Hiberniæ; nec non & Mauricius Rex Hiberniæ, cum populi sui nobilioribus. Unde etiam liquet, Mellis & Mellifontis eandem fuisse Ecclesiam; licet is locus qui Mellis nomen hodie retinet, tribus passuum milibus à Mellifonte sit remotus: nomine, ut videtur, utique dato à sancto Mel Episcopo, B. Patricij discipulo, & sororis ipsius Daretcha filio. de quo videndus in Patricij Vitâ Locelinus, cap. 50. 102. & 186.

EPIST.  
XLV.

EIVSDEM, ad Hibernienses fratres.

Anno Christi  
1148.

*Religiosis fratribus qui in Hiberniâ sunt; & his maximâ congregationibus, quas beate memoriæ Malachias Episcopus fundavit, frater Bernardus Clarevallis vocatus abbas, paracleti consolationem.*

Heb. 13. 14.

**S**I haberemus hic civitatem manentem; copiosissimis iure lachrymâ plangeremus talem nos amisisse concivem. Cæterum si futuram magis inquirimus, ut oportet: est quidem non modica doloris occasio, tam necessario duce destitui; debet tamen zelum temperare scientia, & dolorem spei fiducia delinire. Nec mirari quempiam decet, si gemitum extorquet affectus, si desolatio lachrymas exprimit: modum tamen adhibere necesse est, imò non modicè etiam consolari intuentes non quæ

2. Cor. 4. 18.

*videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna.* Primum quidem congratulandum est animæ sanctæ; ne nos arguat de inopiâ charitatis, dicens & ipse quod Dominus ad Apostolos ait: *Si diligeritis me, gauderitis utique, quia vado ad Patrem.*

Ioan. 14. 28.

Heb. 12. 9.

Prævenit nos ad Patrem spirituum spiritus patris nostri. Nec modò charitatis inopes, sed ingritudinis etiam rei esse convincimur, super omnibus quæ per eum nobis beneficia provenere; si non congratulamur ei, qui de labore ad requiem, de periculo ad securitatem, de mundo transijt ad Patrem. Itaque & pium est *Malachiam* flere defunctum, & pium magis *Malachia* congaudere viventem. Nunquid non vivit? Utique & beatè. *Visus est oculis insipientium mori: ille autem est in pace.*

Sapient.

2. 3.

Dehinc etiam utilitatis propriæ consideratio exultandum nobis suggerit & lætandum, quòd tam potens suos patronus ad cœlestem Curiam, tam fidelis præcesserit advocatus: cuius & ferventissima charitas oblivisci nequeat filiorum, & probata sanctitas obtineat gratiam apud Deum. Quis enim nunc *Malachiam* sanctum aut minùs posse prodesse, aut minùs suos diligere audeat suspicari? Profecto cum diligeretur priùs, certiora nunc suæ dilectionis à Deo capit experimenta: & cum dilexisset

Ioan. 13. 18.

*suos, in finem dilexit eos.* Absit autem ut tua nunc, ô Anima sancta, minùs efficax æstimeretur oratio; quando præsentem vividius supplicare est

2. Cor. 5. 7.

Majestati, nec iam in fidè ambulas, sed in specie regnas. Absit ut imminuta ne dum exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur; cum ad fontem ipsum charitatis æternæ procumbis pleno hauriens ore, cuius & ipsa priùs stillicidia sitiebas. Non potuit morti cedere charitas foris ut mors, imò & morte fortior ipsa. Nam & decedens non erat imme-

Cant. 8. 6.

mor vestri, affectuosius vos commendans Deo; & nostram quoque exiguitatem solitâ illâ suâ mansuetudine & humilitate exorans, ut vestri non obliviceremur in finem.

Vnde & dignum duximus scribere vobis; ut sciatis nos, & in spiritualibus (si quid nostra in his exiguitas per beati huius patris nostri merita unquam potuerit) & in corporalibus (si quando fortè opportunitas præberetur) omnem vobis consolationem impendere totâ devotione paratos. Et nunc quoque (dilectissimi) *Hiberniensis* Ecclesiæ gravem hanc destitutionem toto miseramur affectu; & eo ampliùs vobis compatimur, quo nos ampliùs ex hoc novimus debiteres. Magnificavit enim Dominus facere nobiscum; cum locum nostrum dignatus est beatæ mortis eius honorare præsentia, & pretiosissimo corporis eius locupletare thesauro. Nec molestum sit vobis, quòd apud nos habeat sepulturam: quando sic ordinavit Deus, secundum multitudinem misericordiæ suæ, ut vos eum vivum haberetis, nobis habere liceat vel defunctum. Et nobis siquidem communis vobiscum pater ille erat & est: nam in morte ipsius hoc nobis confirmatum est testamentum. Quamobrem, sicut nos huius tanti patris gratiâ universos vos tanquam germanos fratres totis amplectimur visceribus charitatis; sic & de vobis nos idem sentire, spiritualis ipsa \*cognatio persuadet.

Hortamur autem vos, fratres, ut beati huius patris nostri semper curretis sectari vestigia; eo studio siùs, quo vobis certius sancta eius conversatio diuturnis experimentis innotuit. In hoc enim veros vos eius filios esse probabit, si paterna viriliter instituta servetis: & ut in eo vidistis, & audistis ab eo, quemadmodum vos oporteat ambulare, sic ambuletis, & abundetis magis. Siquidem gloria patris, sapientia filiorum. Nam & nostram non mediocriter excutere desidia, & reverentiam incutere cæpit præsens nobis tantæ perfectionis exemplar. Atque utinam sic nos post se trahat, ut pertrahit in tam recenti virtutum eius odore avidius alacriusque currentes. Orantem pro nobis universitatem vestram *Christus* custodiat.

\* cognatio.

Cant. I. 3. 4.

## RECENSIO.

*Consolatoria hæc est, de morte Malachia: cujus laudes duobus Sermonibus in ipsius Natali habitis idem Bernardus prædicat, & libro singulari de Vita eius, Congani abbatia & reliquorum fratrum Hiberniensium rogatu, edita. id enim ipse, in fine Præfationis ita indicat. Tu id mihi abba Congane injungis, reverendus frater & dulcis amicus meus, ac tecum pariter (ut ex Hiberniâ scribis) vestra illa omnis Ecclesia sanctorum. Libens obedio: præsertim quòd non eloquium exigitis, sed narrationem. Dabo verò operam, ut ea sit pura & luculenta, devotos informans, fastidiosos non onerans. Sanè narrationis veritas secunda apud me est, intimata à vobis; haud alia proculdubio protestantibus, quàm quæ certissimè comperta sunt vobis.*

EPIST.  
XLVI.

ADRIANI IV. Pontificis Romani, ad *Henricum I.*  
Anglorum Regem.

Anno Chri-  
sti 1155.

*Adrianus Episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio,  
illustri Anglorum Regi, Salutem & Apostolicam  
benedictionem.*

**L** Audabiliter & satis fructuosè de glorioso nomine propagando in  
terris, & aeternæ felicitatis præmio cumulando in cælis, tua Ma-  
gnificèntia cogitat: dum ad dilatandos Ecclesiæ terminos, ad declaran-  
dam indoctis & rudibus populis Christianæ fidei veritatem, & vitio-  
rum plantaria de agro Dominico extirpanda, sicut Catholicus Princeps  
intendis; & ad id convenientiùs exequendum, consilium Apostolicæ  
Sedis exis & favorem. In quo factò, quanto altiori consilio & majori  
discretionè procedis, tanto in eo feliciorè progressum te (præstante  
Domino) confidimus habiturum: eo quòd ad bonum exitum semper &  
finem soleant attingere, quæ de ardore fidei & religionis amore princi-  
pium acceperunt. Sanè *Hiberniam*, & omnes Insulas, quibus Sol ius-  
titia *Christi* illuxit, & quæ documenta fidei Christianæ ceperunt, ad  
ius beati *Petri* & sacrosanctæ *Romana* Ecclesiæ (quod tua etiã Nobili-  
tas recognoscit) non est dubium pertinere. Vnde tanto in eis liben-  
tiùs plantationem fidelem, & germen gratum Deo inserimus; quanto  
id à nobis \* interno examine districtiùs prospicimus exigendum. Si-  
gnificasti siquidem nobis (fili in Christo charissime) te *Hibernia* insu-  
lam, ad subdendum illum populum legibus, & vitiorum plantaria inde  
extirpanda, velle intrare: & de singulis domibus annuam unius denarij  
beato *Petro* velle solvere pensionem; & iura Ecclesiarum illius terræ il-  
libata & integra conservare.

\* in extre-  
mo, habet  
Scoti chro-  
nicon.

Nos itaque pium & laudabile desiderium tuum cum favore congruo  
prosequentes, & petitioni tuæ benignum impendentes assensum, gra-  
tum & acceptum habemus, ut (pro dilatandis Ecclesiæ terminis, pro  
vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus & virtutibus  
inserendis, pro Christianæ religionis augmento) Insulam illam ingre-  
diaris, & quæ ad honorem Dei & salutem illius terræ spectaverint exe-  
quaris; & illius terræ populus honorificè te recipiat, & sicut Dominum  
veneretur: iure nimirum Ecclesiarum illibato & integro permanente,  
& salvâ beato *Petro* & sacrosanctæ *Romana* Ecclesiæ de singulis domibus  
annuâ unius denarij pensione. Si ergò quod concepisti animo, effectu  
duxeris prosequente complendum; stude gentem illam bonis moribus  
informare: & agas (tam per te, quàm per illos quos ad hoc fide, verbo,  
& vitâ idoneos esse perspexeris) ut decoretur ibi Ecclesiæ, plantetur &  
crescat fidei Christianæ religio; & quæ ad honorem Dei & salutem per-  
tinent animarum (per te) taliter ordinentur, ut à Deo sempiternæ mer-

cedis cumulum consequi merearis, & in terris gloriosum nomen valeas  
in sæculis obtinere. Datum Romæ, &c.

## R E C E N S I O.

*Adrianus IV. Papa, natione Anglus, Norvegiam primus Christianâ fide imbuit, amoreque patria ductus Imperium Hibernia, qua Pontificia ditionis fuerat, Henrico II. Anglorum Regi concessit: inquit Reginaldus Polus Cardinalis in oratione ad Anglos suos anno 1554. in Comitij Parliamentarij habitâ. Quo verò iure dominium Hibernia Pontifex sibi vendicaverit; Ioannes Sarisburiensis, qui ipso Privilegium hoc ab Adriano impetravit, libro 4. Metalogici sui capitulo ultimo ita aperit, Ad preces meas illustri Regi Anglorum Henrico II. concessit & dedit Hiberniam iure hæreditario possidendam: sicut literæ ipsius testantur in hodiernum diem. Nam omnes insulæ de iure antiquo, ex donatione Constantini qui eam fundavit & dotavit, dicuntur ad Romanam Ecclesiam pertinere. Annulum quoque per me transmisit aureum, smaragdo optimo decoratum, quo fieret investitura iuris in gerenda Hibernia: idemque adhuc annulus in curiali archio publico custodiri iussus est. Narrat quoque Giraldu Cambrensis in Hibernia expugnata historiâ lib. 2. cap. 6. Regem Henricum ab Adriano Papâ Privilegium hoc perquisivisse, per Ioannem Salisburiensem, postmodum Episcopum Carnotensem, Romam ad hoc destinatum. Per quem etiam (inquit), idem Papa Anglorum Regi annulum aureum in investituræ signum præsentavit: qui statim, simul cum Privilegio, in archivio Vintoniæ repositus fuerat. Anno verò 1155. sub ipsa videlicet initia regni Henrici & Pontificatus Adriani, impetratum fuisse hoc privilegium, docent in suis Annalibus Rogerus Wendoverius, Matthæus Parisiensis & Nicolaus Trivetius. Per idem tempus, (ait ad eum annum Matthæus Vestmonasteriensis) rex Anglorum Henricus nuncios solemnes Romam mittens, rogavit Papam Adrianum, adhuc novum, cuius gratiam confidenter obtinere speravit, utpote Anglum, ut liceret ei Hiberniam hostiliter intrare, & eam sibi subjugare; atque homines illos bestiales ad fidem Christi decentius revocare, Ecclesiæque Romanæ fidelius inclinare. Quod Papa Regi gratanter annuit; & eidem, super hoc, Privilegium destinavit. Rex igitur Henricus (addit ad eundem annum Trivetius) circa festum S. Michaelis, habito Vintoniæ Parlamento, de conquirendâ Hiberniâ cum suis optimatibus tractavit. Quod quia matri eius Imperatrici non placuit; ad tempus aliud dilata est illa expeditio. Similia habet Robertus de Monte in Continuatione Chronographiæ Sieberti, anno 1156. & Ioannes Rossus Warvicensis in libello de terris Corona Angliæ annexis: cuius & integram hanc Adriani Bullam inseruit, quod etiam à Matthæo Parisiensi & Nicolaus Trivetio ad annum 1155. Casare Baronio, ad annum 1159. & Giraldo Cambrensi (iùm in loco jam citato, iùm in 1. libro de Vita sua) est factum. Eandem etiam in Scotichronici, lib. 12. cap. 33. necnon in Dubliniensis Archiepiscopi & Lismorensis Episcopi Regestis descriptam vidimus. Eidem in Manuscript. Giraldu codice, quo Ioannes Stouerus est usus, (sicut in Annalibus eius, ad annum 1160. videre licet) adjuncta erat Symboli Apostolici & Orationis Dominica vetus Anglicana versio: quam nonnulli eodem tempore ab Adriano ad populares suos missam fuisse autumant.*

\* Ioan. Elderliter. ad Cathonesiæ Episcopum, dat. Londini Kalend. Ianuar. anno 1555. & Matth. Parker. in vitâ Poli.

## ALEXANDRI III. Pontificis Romani, ad eundem.

EPIST.  
XLVII.Anno Chri-  
sti 1172.*Alexander Episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio, illustri Anglorum Regi, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

Quoniam ea quæ à decessoribus nostris rationabiliter indulta noscuntur, perpetuâ merentur stabilitate firmari; venerabilis Adriani Papæ vestigiis inhaerentes, nostrique desiderij fructum attendentes, concessionem eiusdem super Hibernici regni dominio vobis indulto (salva beato Petro & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ; sicut in Angliâ, sic & in Hiberniâ, de singulis domibus annuâ unius denarij pensione) ratam habemus & confirmamus. quatenus eliminatis terræ illius spurcitijs, barbara natio, quæ Christiano censetur nomine, vestrâ indulgentiâ morum induat venustatem; & redactâ in formam hætenus informi finium illorum Ecclesiâ, gens ea per vos Christianæ professionis nomen cum effectu de cetero consequatur.

## RECENSIO.

*Habetur apud Giraldum Cambrensem libro 2. Historia Hiberniæ expugnata cap. 6. indeque apud Ioannem Rossium VVarwicensem in libro de terris Corona Angliæ annexis. In Francofurtensi tamen Giraldi editione, non solum integrum hoc Diploma est prætermissum, sed etiam tota eius historia inversa & depravata: quam nos ex duobus Manuscriptis exemplaribus ita restitimus. Anglorum rex, directis ad Curiam Romanam nuncijs, ab Alexandro tertio tunc præsidente privilegium impetravit, eiusdem auctoritate simul & assensu, Hibernico populo tam dominandi quàm ipsum in fidei rudimentis incultissimum Ecclesiasticis normis & disciplinis (iuxta Anglicanæ Ecclesiæ mores) informandi. In Hiberniam itaque privilegio transmissio per Nicolaum VValingfordensem tunc Priorem (Malmesburiensem quoque postmodum Abbatem tam positum quàm depositum) necnon & Gulielmum Aldelmi filium, convocata statim apud VWaterfordiam Episcoporum Synodo, in publicâ audientiâ ejusdem Privilegij, cum universitatis assensu, solemnis recitatio facta fuit: necnon & alterius Privilegij per eisdem transmissi, quod idem Rex ab Adriano Papâ, Alexandri decessore, antea perquisierat per Ioannem Salisburiensem, postmodum Episcopum Carnotensem, Romam ad hoc destinatum. Unde corrigendus error Richardi Staniburghii V.C.L. auctoris mei, qui in 3. de rebus Hibernicis libro, depravata Giraldi secutus exemplaria, ait Ioannem Salisburiensem, convocato VWaterfordiæ antistitum Concilio, Pontificias litteras publice recitasse. Huc vero spectat locus ille Rogeri Hovedeni, in posteriore Annalium parte, ad annum 1172. Rex Angliæ misit transcriptum Chartarum univerforum Archiepiscoporum & Episcoporum Hiberniæ ad Alexandrum Papam: & ipse auctoritate Apostolicâ confirmavit illi & hæredibus suis regnum Hiberniæ secundum formam Chartarum Archiepiscoporum & Episcoporum Hiberniæ. Et Ioannis Bramptoni in Iornalensi Historia. Rex Angliæ misit nuncios suos ad Alexandrum Papam cum litteris Archiepiscoporum & Episcoporum Hiberniæ, ad regimen Hiberniæ sibi & hæredibus suis auctoritate Apostolicâ confirmandum: sicque factum est. Nam summus Pontifex regnum illud sibi & hæredibus suis auctoritate Apostolicâ confirmavit, & in perpetuum eos constituit inde Reges.*

EIVSDEM

EIVSDEM *Alexandri*, ad *Laurentium* Dublinensem  
Archiepiscopum.

EPIST.  
XLVIII.

*Alexander* Episcopus servus servorum Dei, Venerabili fratri *Laurentio*  
*Dublinensi* Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè  
substituendis in perpetuum.

Anno Chri-  
sti 1179.

Cum teneamus ex debito suscepti regiminis circa universum cor-  
pus Ecclesiæ aciem nostræ considerationis extendere, & necessita-  
tè patientibus prout convenit suffragari: fratribus & Coëpiscopis no-  
stris Apostolicum cogimur suffragium impartiri, & his maximè qui pro  
multâ locorum distantia, & impedimentis viarum, liberum non pos-  
sunt accessum ad sedem Apostolicam habere. Eapropter, venerabilis in  
Christo frater Archiepiscopo, tuis iustis postulationibus clementer an-  
nuimus; & *Dublinensem* Ecclesiam, cui auctore Deo præfesse dinosceris,  
sub beati *Petri* & nostrâ protectione suscipimus, & præsentis scripti  
privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæ-  
cunque bona, quæ eadem Ecclesia in præsentiarum iustè & canonicè pos-  
sident, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel  
Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis ( præstante Do-  
mino ) poterit adipisci; firma tibi, tuisque successoribus, & illibata per-  
maneant. *Glendalensis*, *Darensis*, *Fernensis*, *Leclinchensis*, & *Ofragesis*  
Episcopatus, sicut tibi sunt Metropolitico iure subiecti; tibi tuisque  
successoribus auctoritate Apostolicâ confirmamus. Adjicientes quoque  
statuimus, ut Cathedrales Ecclesiæ prædictorum Episcopatum, cum  
omnibus bonis & possessionibus suis quas in præsentiarum canonicè pos-  
sident, vel in futurum iustis modis ( Deo propitio ) poterunt adipisci;  
sub beati *Petri* & nostrâ protectione consistant.

Præterea Ecclesias, villas, & possessiones Ecclesiæ tibi commissæ, in-  
feriùs adnotatas, tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus:  
videlicet *Luscum* cum omnibus suis, *Sord* cum omnibus pertinentijs  
suis intus & extrâ, *Finglas* cum omnibus pertinentijs suis, *Cluaindol-*  
*eam* cum omnibus pertinentijs suis, *Tamlachtan* cum omnibus perti-  
nentijs suis, *Cell* Episcopi *Sanctam* cum pertinentijs suis, medietatem  
de *Tignat* cum Ecclesiâ ipsius villæ, *Rathmichael*, *Callcomgault*, *Cella-*  
*chauth Driegnig*, *Cellerubauth*, cum montanis ab *Igis* usque *Sudi*, *Cheli*,  
*Cellcoemgen* cum suburbio & alijs pertinentijs suis, & *Technabretnach*,  
*Lechrecasandi*, ad mensam autem Canonicorum, medietatem de *Rathra-*  
*vini*, & portus *Beth*, *Rathchiltn*, *Glasneden* cum molendino, *Chem-*  
*drochit* cum molendino pontis, *Balemerramlarb*, *Dun*, *Cuanach*, *Baleu-*  
*gore*, *Cellefra*, *Cerannsale*, *Lisluan*, tertiam partem de *Clockair*, ter-  
tiam partem de *Cellalia*, *Cluinkony*, *Kalgohc*, *Tilacharbam*, *Cellingena-*  
*lenin*, *Cellenca*, *Rathsalcan*, *Tulachmanepiscop*, *Drumud*, *Balenchá-*  
*ram*, *Tir odraun*, *Bale uroolef*, *Bale mocham*, *Bale mace murgussa*, *Ba-*  
*Yserij* Epist. Hibern.

*lendelar.* Parochiales autem Ecclesias, scilicet sancti *Thome*, sancti *Nicolai*, sanctæ *Warburge*, sancti *Patricij* in insulâ, cum omnibus earum pertinentijs; Insulam filiorum quondam *Nessari*, & *Delcinsi*, cum appendicijs earum, & ceteras Ecclesias tuæ diocesis, cum decimis & alijs earum pertinentijs.

Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum fas sit prefatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minùere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiove commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit; potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri *Iesu Christi* aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri *Iesu Christi*; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inveniant. *Amen.* Datum Laterani, per manum *Alberti* sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri Cardinalis & Cancellarij, XII. Calend. Maij, Indictione XII. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXIX. Pontificatus verò Domini *Alexandri* Papæ III. anno XX.

## R E C E N S I O.

Est hic *Laurentius O Tolu*; cuius *Vitam* ab *Augiensij Collegij* monacho descriptam *tomo 6. Vit. Sanctor. Novemb. 14.* inseruit *Laurentius Surius.* Patrem habuit, ut auctor ille inquit, *Muriatach* sive *Mauricium O Tnohil*, ad quem non modica pars *Hiberniæ*, quæ *Lagenia* dicitur, iure hæreditario pertinebat: matrem *Ingen Ybruia* (ita enim legunt duo hujus *Vita*, qua ego habeo, *Manuscripta exemplaria*) id est, *filiam Principis, ex Birnorum*, ni fallor, familia, *Annos natus decem, Deditio regi* (qui alius ab illo *Murchardi* filio fuit, à quo *Angli in Hiberniam sunt introducti*) à patre orbes datus, durissimè ab eo habitus est: post biennium verò patri restitutus, & Ecclesiæ ministerio ab eo datus, sub magisterio *Glindelacensis* Episcopi vixit. Cum annorum esset *XXV* Ecclesiæ *S. Comgeni* sive *Keivini de Glindelach* Abbas, Clero & populo id postulantiibus, constitutus est: ac demùm *Gregorio Dublinensi* Archiepiscopo defuncto, ad *Dubliniensem* cathedram evectus, anno Domini *1162.* à *Gelasio* totius *Hiberniæ* Primate, in ipsâ *Dubliniensi* Ecclesiâ, multis Episcopis præsentibus, gratias agente populo, solemniter consecratus est. Anno *1179.* unâ cum *Catholico Tuamensi* Archiepiscopo & \* *quinque* vel *sex Hiberniæ* Episcopis *Romam* ad *Lateranense Concilium* profecturus, per *Angliam* transijt: ubi omnes pro licentiâ transeundi iuraverunt, quòd neque Regi, neque regno eius damnum quærerent; quemadmodum in anni illius *historia* refert *Rogerus Hovedenus.* *Laurentium* tamen, ob privilegia in *Lateranensi Concilio* contra *Regiæ* dignitatis honorem, zelo suæ gentis, ut ferebatur, impetra-

\* ita *Hovedenus.* sed quatuor tantùm habentur in nomenclaturâ Episcoporum, quam in notis ad *Guilielmi Neubrigensis* *histor. lib. 3. cap. 2.* edidit *Ioannes Picardus*; nempe *Constantinus Episcopus de Quidalua*, qui *Laonensis* fuisse putatur, *Bricius Lunbrensis*, sive *Limericensis*, *Augustinus Waterfordensis*, & *Felix Lismerensis*,

**m.** Anglorum Regi suspectum fuisse, libro 2. Expugnat. Hibern. cap. 23. narrat Giraldus Cambrensis: Eo tempore, Dublinicnsi sua Metropoli prasens hoc impetratum est ab eo Privilegium, ex antiquo Dublinicnsis Archiepiscopi Regesto, quod Crede mihi appellant, a nobis exscriptum. Obijt apud Augiense Normannia castrum (eius Comes Richardus Strongbous fuerat, qui Dubliniam & Lageniam, Laurentij sedem metropolitica & provinciam, ipso vivente & vivente subjugavit: ) quem patrie ab Anglis vastata calamitatem deplorasset, miserabiliter lingua materna acens: Heu popule stulte & insipiens, quid iam facturus es? Quis sanabit aversiones tuas? Quis miserebitur tui? Atque ita, XVIII. Calendas Decembris, cum sexta feria terminus advenisset, in confinio Sabbati subsequenti spiritum sancti viri requies aeterna suscepit; inquit Vita eius scriptor. Annum, quem ille tacet, Annales nostri assignant 1182. quo & 14. dies Novembris in sextam feriam incidit. Rogerus Hovedenus, & eum secutus Caesar Baronius in Annalibus suis ad sequentem annum male referunt. Nam ut ipse Rogerus postea confirmat, anno 1181. Henricus rex Angliae, filius Imperatricis, dedit Joanni Cumin, clerico suo, Archiepiscopatum Diveliniae in Hibernia, VIII. Idus Septembris apud Euesham. (ideoque Novembris dies 14. qui electionem hanc antecesserat, ad annum 1180. necessario retrahendus est.) & anno 1182. Lucius Papa III. ordinavit Joannem Cumin in Sacerdotem III. Idus Martij apud Velletr: deinde consecravit eum in Archiepiscopum Diveliniae XII. Calend. Aprilis, Dominica in ramis Palmarum, apud Velletr: cui Calendarij quoque ratio suffragatur; qua anno 1182. Dominicam Paschalem 28. die Martij celebratam fuisse docet. In Sanctorum vero numerum relatus est Laurentius ab Honorio III. anno 1225. cujus canonizationis Bulla, data Reate, III. Id. Decembris. anno Pontificatus 10. habetur in Laertij Cherubini Bullario; tomo 1. pag. 49. edit. Rom. anno 1617.

GIRALDI Barry Cambrensis, ad Guilielmum Verum  
Herefordensem Episcopum.

EPIST.  
XLIX.

De Mirabilibus Hiberniae.

Circa An-  
num 1190.

**L**ectio certa prodest, varia delectat. Si ergo legendo proficere quavis: primo continentiam operis cum diligentia seriatim transcurras, quatenus & materiae tenor, & tractandi modus, & rerum coherentia cuncta pateat. Quoties vero transcurso volumine delectari volueris; circa titulos istos verseris. In prima distinctione: de avibus earumque naturis, & defectibus. De feris. De vermibus. De comparatione Occidentis & Orientis; usque in finem illius distinctionis. In secunda distinctione: de lupo cum sacerdote loquente. De muliere barbata, & in tergo cristata. De semibove viro semiviroque bove. De vaccâ ceruinâ. De hircu ad mulierem accedente, & leone mulierem adamante. De mirandis Sanctorum refugijs. De saltu Salmonis, & modo salendi. De libro miraculose conscripto, & libri compositione. De vita Brendani. In tertia distinctione: de gentis Hiberniae natura, moribus & cultu. De gentis eiusdem in musicis instrumentis peitua incomparabili. De commodis artis Musicae. In calce vero eiusdem distinctionis; De victoriis Anglorum Regis Henrici II. & filiorum titulis, usque in finem Operis. Notulas quoque contra magis notabiles tam sententias quam sermones per loca disposui, ad quae perfacile tota lectoris acies dirigatur. Prae omnibus autem titulis, meo iudicio, de musicis instru-

mentis & arte Musicâ tractatus, pro sui captu laudabilior: quanto ibidem & materia inusitatio, & stylus elegantior invenitur.

## RECENSIO.

Giraldus de Cambriâ oriundus, & australi eiusdem parte maritimisque Deme'tiæ finibus, non procul ab oppido principali de Penbroc castello, sc. de \* Mainarpu; ingenius natalibus profapia duxit. Ex matre namque Angareth (filiâ Nestæ nobilis filiz Refi principis Sudvalliæ, sc. filij Theodori) viro egregio VVilhelmo de Barri matrimonialiter copulatâ processit. Ita de genere suo scribit, in primo de Vita sua libro cap. 2. *Giraldus noster; qui à patre Barij, à patriâ Cambrensis cognomen traxit. Is ab avunculo suo Davide, (Nestæ illius, quam Angli Annes vocant: filio) Brechinensis Archidiaconatus (qui è quatuor Menevensis dioceseos unus erat) munus accepit. Gafrido, anno 1198 defuncto, in Menevensi Episcopatus successisse Sylvestrum Giraldum, vel potius Giraldidam, Mauricio nempe prognatum, Giraldi de VVinsfor (qui arcem condidit Penbrochianam) & Nestæ (sororis Criffini Australis VValliæ Principis) filio; in Menevensium Episcoporum Catalogo affirmat eruditissimus antistes D. Franciscus Godwinus. Sylvestri nomen primus, quod sciam, Giraldo Ioannes Lelandus imposuit; neque enim in Vita, quam ipse conscripsit suam, neque in tot Manuscriptis, qua videri contigit, operum ipsius exemplaribus, ejusmodi quid adhuc invenire potui. Giraldi, absque omni dubio, proprium fuit illi nomen: Giraldidæ verò cognomentum, ut ex materna parte indi illi potuisse fortasse non abnuerim, ita ex æterno Barensem extitisse, tam certum est quàm quod certissimum. Mauricius quidem Giraldides, Dominus de Landestessan, qui in Hibernia fixus postea sedibus, Comitibus nostris Kildariensibus & Desmondanis originem dedit, matrem habuit Nestam (Giraldi nostri aviam) patrem Giraldum VVinsforsium, Arnulphi illius qui castrum Penbrochianum primus construxit (ut ad epistolam 37. ex ipso Giraldo ostendimus) Castellatum: ac filium etiam (quod errori videtur prabuisse ansam) Giraldum: verum non nostrum, sed alium, cuius in secundo Expugnationis Hiberniæ libro cap. 10 hic noster meminit. Anno verò 1198. obiit non Galfrius, sed Petrus proximus illius in sede Menevensi antecessor. Vnde longa illa lis est exorta, Roma coram Innocentio III. agitata, inter Galfridum Huberti Cantuariensis Archiepiscopi opera promotum: & Giraldum nostrum à Menevensi Capitulo electum: cuius historiam fusè lateque ipse Giraldus exequitur, tum in Dialogo de statu Ecclesiæ Menevensis, tum in libro secundo de Vita sua, ubi ostendit qualiter ad collirium (ita enim ille loquitur) efficax in Curia pars adversa se convertit, & totam contra Giraldum Curiam per hoc corruptit. Vnde demùm causa cedere, & Galfrido Menevensem Episcopatum relinquere coactus est.*

Anno 1185. ab Henrico II. Anglorum rege, cum filio suo Ioanne Moretonij tunc Camite, in Hiberniam missus est: ubi àum moram faceret, duorum Episcopatum qui tunc vacabant, VVesefordensis sc. (qui & Fernensis dicitur) & Lechelinenfis Archidiacono Comes optionem dedit; & cum utramque recusaret, obrulit ei duas Ecclesias illas & dioceses in unum convertendas, si regimen ipsarum suscipere vellet. Ad quod respondit: quod si animum iphus ad hoc datum videret, ut Ecclesiam Hibernicam extollere vellet & sublimare; se forsâ, ut ad hoc cooperari & coadiuvare posset, obblatum honorem suscepturum. Sed quoniam hoc non attendit: maluit esse privatus, quàm inutiliter in potestate constitutus; nec aliquatenus ibi præesse voluit, ubi prodesse non potuit. Videns ergo quod Comes ibi nil proficeret, sed de die in diem deteriorem per eius adventum terrâ statum haberet; considerans etiam multa ibidem nova & notabilia, alijs aliena regnis & prorsus incognita: ut vel ipse questum aliquem aut conquestum suo saltem labore faceret; primùm Topographiæ suæ, deinde Expugnationis Hibernicæ materiam ibi colligere, studio grandi & diligenti inquisitione, curavit. Cum itaque Comes per æstatem totam & hyemis partem morâ in Hiberniâ inu-

\* *Maenor Pyrr.* id est, *mansio Pyrr:* de quâ vid. Girald. Itinarar. Cambriæ, lib. 1. cap. 12.

tilli facta, remenso pelago in V Valliam & Angliam remearet: Giralduſ com ſeneſcallo Hiberniæ Bertramo de Verdun ſocius & rerum gerendarum teſtis relictus, ut ſtudio prædicto plenius indulgeret, non ſolum congerendo ſed etiam digerendo, uſque ad Paſcha ſequens moram in Inſulâ fecit. *Hæc de ſeiſo Giralduſ, libro 1. de Vita ſua, cap. 25. quibus & capite 28. deinde addit.* Cùm itaque magni nominis in Inſulâ tunc Giralduſ exiſterit & famæ præclaræ; inter Paſcha & Pentecoſten de Hiberniâ in V Valliam tranſfretavit: ubi & Topographiæ ſuæ, cuius tractatum iam inchoaverat, conſummationi ſtudioſam ex toto mentem applicavit. Proceſſu verò temporis opere completo & correcto, lucernam accenſam non ſub modio ponere, ſed ſuper candelabrum ut luceret erigere cupiens; apud Oxoniam, ubi Clerus in Angliâ magis vigeat & clericatu præcelleret, Opus ſuum in tantâ audientiâ recitare diſpoſuit. Et quoniam tres erant in libro ſuo Diſtinctiones, qualibet recitatæ die, tribus diebus continuis recitatio duravit: primoque die pauperes omnes oppidi totius, ad hoc convocatos, hoſpitiuſ ſuſcepit & exhibuit. In craſtino verò Doctores diverſarum facultatum omnes, & diſcipulos famæ majoris & notitiæ. Tertio die reliquos ſcholares, cum militibus oppidanis & Burgenſibus multis. Sumptuoſa quidem res & nobilis: quia renouata ſunt quodammodo antiqua & authentica in hoc factu Poëtarum tempora; nec rem ſimilem in Angliâ factam, vel præſens ætas, vel ulla recollit antiquitas.

*Huius Recitationi præmiſſa fuit Præfatio in Hibernicam Topographiam prima: cui in aliquibus exemplaribus titulum aſpoſitum inveni, Introitus in recitationem. In alijs duobus, ſini Operis hanc ad Guilielmum Herefordenſem Episcopum epistolam ſubjunctam reperi: in quâ tituli recensentur inſigniores Topographiæ huius, ſive Libri de mirabilibus Hiberniæ. Cui cùm fabuloſa complura inſeruiſſe Giralduſ inſimularetur: præter apologiſmum, quæ prima in librum Expugnationis Hiberniæ Præfationi intexuit, hanc etiam in Retractionum ſuarum tractatu admonitionem ſubijciendam putavit. De Topographiâ Hibernicâ, labore ſcilicet noſtro primævo ferè nec ignobili, ubi multa nova aliſque regionibus prorsùs incognita (ideoque magis admiranda) ſcribuntur, hoc pro certo ſciendum: quòd quorundam: quinimò & quamplurium, per diligentem & certam indagacionem à magnis terræ illius & authenticis viris notitiam eliciuiſus; de cæteriſque totius terræ famam potiùs ſecuti fuiſus. De quibus omnibus cùm Auguſtino ſentimus: qui in libro de Civitate Dei, de talibus quæ ſolum fama celebrat nec certâ veritate fulciuntur loquens, nec ea affirmanda plurimùm nec prorsùs abneganda decrevit.*

EIVSDEM *Giraldi Cambrenſis in librum tertium Vaticinum* EPISTOLÆ  
Prologus. qui adjectus eſt, vice Appendicis, ad duos  
ejuſdem libros *Vaticinalis Hiſtoriæ*, de Expugnatione Hiberniæ.

Quoniam in prioribus libris *Merlini* vaticinia tam *Caledonijs* quàm *Ambroſij* locis competentibus, prout res exigebat, inſeruiſus; *Ambroſio* verò dudum expoſito, nondum *Caledonijs* Britannicam exutus barbariem, uſque ad hæc noſtra tempora latuit parùm agnitus: noſtræ videbatur intereſſe diligentiæ, tam ipſum ab antiquis & occultis ſcrutabundâ inquisitione latebris, ut pulchriùs eluceſcat, in commune deducere, & ab ignorantia tenebris in lucem transferre, quàm tranſlatum quoque præſenti volumini coaptare. Non indecens enim, non incongruum videri debet, \* id unde authoritatem & præſcientiam nec non & Vaticinale nomen ſortitur *Hiſtoria*, id ipſi ſtatim *Hiſtoriæ* continetur: & ut ea quæ carptim & variè, prout ordo tractatus exigebat, diſperſa per opus reperiuntur, ea in ejuſdem operis con-

\* id, redun-  
dat.

tinentiâ, eo quo prolata sunt ordine, loco competenti Lector valeat invenire. plurima tamen quæ Vaticinalis, quisquis fuerit & undecunque proveniens, varie deprompsit & dispersè, sub certos redacta titulos, prout dicti causa vel dicendorum materia potius coniungenda poposcerat, ad maiorem evidentiam series ordinata connexit. Nec indignetur inspector, nec in calumniam prorumpat lector delicatus, si ab historiâ tanquam ad fabulas converti videar. Non enim fabulosa sunt omnia, quæ falsitatis imaginem tenent; sicut nec verisimilia cuncta statim pro veris suscipienda.

Erat itaque *Caledonij Silvestris* solum hæcenus fama percelebris; à Britannicis tamen *Bardis*, quos Poëtas vocant, verbo tenus penes plurimos, scripto verò penes paucissimos vaticiniorum eisdem memoria retenta fuerat. Quoniam igitur *Merlini* istius expositionem Anglorum Regem *Henricum* secundum summopere requisisse multoties audiveram: tanto propensius elaborandum in hoc dixi, quanto id ipsum & Principi placiturum & posteritati profuturum pro certo compereram. Nam ut ait Poëta: *Principibus placuisse viris non ultima laus est.* Quinimò diligi à principe & digne comendari, major est laus quam principi pari. Illud enim fortunæ, istud virtutis est. In hujus igitur inquisitione libelli, cum penitimos *Cambriae* fines frustra pluries transpenetrâsem: tandem viro sancto & literatissimo *Baldevvino* Cantuariorum archipræsuli in salutiferæ Crucis obsequium laudabili per *Cambriam* legatione fungenti regio mandato comes effectus, in remotissimâ quâdam *Venedociae* provinciâ & Hibernico mari conterminâ, quæ *Leni* vocatur in veneratione quâdam ab antiquo repositum, operam adhibens & impensam, diu quæsitum desideratumque demùm non absque labore libellum eliciui.

Functus igitur interpretis officio, peritis quoque linguæ Britannicæ viris mecum adhibitis, in quantum idiomatum permisit diversitas, verbo ad verbum plurima, sententias autem in singulis fideliter expressi. Sed quoniam sicut in alijs, sic & in istis *Bardorum* ars invida naturam adulterans multa de suis tanquam prophetica veris adjecit: cunctis moderni sermonis compositionem redolentibus quasi reprobatis & abjectis, sola veritatis amica sermonis antiqui rudis & plana simplicitas diligenter excepta mentem allexit. Seriatim itaque singula depromens, & Vaticinali historiæ Vaticiniorum librum non incompetenter annectens; Barbaræ linguæ tenebras Latini luce sermonis illustravi: veritus quippe posterorum invidiam, si ea posteris inviderem. In publica namque commoda peccem, si vel hæc studia in tempus differam, vel negligenter omittam. Quibus expletis & in commune deductis, ad *Britannicæ Topographiæ* declarationem, Deo duce vitæ comite studiosus pedetentim animus aspirabit. Quia tunc mihi molliter ossa cubabunt; si trino saltem nostra diligentia beneficio (tanquam triplici funiculo difficile rumpendo) & longe sui memoriam in ævum extenderit, & favorabilem sibi posteritatis gratiam comparaverit.

*Tradunt Britones, & antiqua referunt historia, &c.*

Sed hæc hæcenus. Hujus enim tertiæ Distinctionis editio, & nova Vaticaniorum interpretatio suam adhuc saniori consilio tempus expectet: quia nondum venit hora ejus. Satius est enim ut veritas, quam perutilis & desiderabilis, aliquamdiu tamen suppressa lateat; quam in lucem cum majorum offensâ præpropore pariter & periculose prorumpat.

RECENSIO.

*Vt Hibernicam Topographiam triennij, ita Vaticanalem expugnationis Hibernica historiam biennij labore complevit: quem admodum testatur ipse, tum in Vaticanali hujus historia libro 2. cap. 31. tum in Prefationis prioris in Descriptionis Cambriae libros duos: quorum primus, qui laudabilium inscribitur, à D. Davide Pouelo est editus, secundo illud laudabilium præmissis. In eâ verò præfatione, ad Stephanum Langtonum Cantuariensem Archiepiscopum scriptâ, Vaticanalem suam historiam duabus distinctionibus constituisse significat: neque plures eâ quâ typis vulgatam habemus continet editio. At in codicibus quibus ego sum usus Manuscriptis, auctor hunc Vaticaniorum librum subinde pollicetur; ut libro 1. cap. 20. 30. 31. & 44. (nam in editis, Vaticanis, & ibi & alibi etiam aliquoties citata, desiderantur) atque secum dum librum ita concludit. Novis de cætero historicis tam indolis egregie gesta, digno coæquanda stylo, nunc relinquentes; ad toties promissum Vaticaniorum librum transeamus. Deinde sequitur Liber tertius Vaticanus; vel hic potius, quem jam damus, in illum Prologus. Nam ipsum librum, sicut & Britannicam quam hic & \* alij in locis promittit Topographiam, Giralduus nunquam videtur perfecisse. Hibernica verò expugnationis Historiam iacridè Vaticanalem à se fuisse inscriptam in hujus Prefationis vestibulo significat; quod ei Merlini vaticinia tam Caledoniæ quàm Ambrosij locis competentibus, prout res exigebat, inseruit. de quo utroque libro 2. Itinerarij Cambriae cap. 1. sic ipse scribit. Non procul ab ortu Convrey, in capite montis Eryti, stat Dinas Ffynys, id est, promontorium Ambrosij, ubi Merlianus prophetavit, sedenti super ripam Vortigerno. Erant enim Merlini duo: ille qui & Ambrosius dictus est (quia binomius fuerat) & sub rege Vortigerno prophetavit, ab incubo genitus, & apud Caermardhin inventus unde & ab ipso ibidem invento denominata est Caermardhin, id est, urbs Merlini. Alter verò de Albaniâ oriundus, qui & Calidonus dictus est, à Calidoniâ sylvâ in quâ prophetavit; & Sylvester, quia cum inter acies bellicas constitutus, monstrum horribile nimis in aëra suspiciens prospiceret, dementire cepit, & ad sylvam transfugiendo sylvestrem usque ad obitum vitam perduxit. Hic autem Merlinus tempore Arthuri fuit, & longè plenius & apertius quàm alter prophetasse perhibetur. Merlinum suum Britanni Merdhyon vocant, & ab eo Caermardhyon denominatam censent: cum longè ante Merlinum natum urbs eâ Mariduni nomine Ptolemao nota fuerit. Vt Ambrosius ille Maridunensis cognomentum ab urbe potius traxisse dicendus sit, quàm urbs ab illo nomen accepisse. De fabuloso ejus ortu & rebus gestis, videri potest Ninnius Britannus in Breviario suo, cap. 41. 42. 43. Galfridus Monemuthensis sub finem 6. libri Historia Britannica, Alanus de Insulis in Prefatione explanationum Proprietatum ipsius, Vincentius Bellovacensis in Specul. Historial. lib. 20. cap. 30. Rabbi Abraham Zachutus in libro Iuchasin, Stephanus Forcatus de Gallorum imperio & Philosophiâ libro 7. VVierus de præfigijs demonum lib. 2. cap. 16. Ioannes Turinus Commentariorum Britannicorum libro 2. & alij plurimi. Ejus Vaticanis, Alexandri Lincolnensis Episcopi jussu, Galfridus Monemuthensis Henrico I. regnante de Britannico in Latinum transtulit, & libro 7. Britannica sua historia intexuit, qua deinde, Henrico II. in Angliâ imperante; Alanus de Insulis Germanus addidit Commentario-*

\* Topograph. Hibern. lib. 3. cap. 16. & in Descript. Cambriae præfat. 1.

vum libris 7. illustravit. Eorum vanitatem, Præmio in Historiam sub Richardo I. à se editam, detexit Guilielmus Neubrigenfes: quam superiori quoque sæculo perstrinxerunt, inter alios, Richardus Stanishurffus noster rerum Hibernicarum libro 3. pag. 18. & lib. 4. pag. 181. Georgius Buchananus rerum Scotticarum lib. 5. (in Rege XLIV.) Guilielmus Camdenus in Caomaden-shire (pag. 504.) David Pouelus in annotationib. ad Giraldi lib. 2. leimerarij Cambria cap. 8. & Epistolâ ad Guilielmum Fletorvodum de Britannicâ historiâ rectè intelligendâ. quibus & Romanus librorum prohibitorum Index accedit, in quem Merlini Angli (vel Britanni potius) liber obscurarum prædictionum est relatus. Poeticam vel jocosam potius Merlini fabulam versu heroico à Galfrido Monemuthensi descriptam in Bibliotheca Cottoniana vidimus. Ab eodem Propheticum Merlini Sylvestris (quem Britanni Mèrdhyn VVylit appellant) libellum in carmen redactum fuisse asserit Ioannes Lelandus, Commentar. in Cygnaam Cantionem, voc. Britannia. & in Assertionem Arturij; ubi de funere Arturij ex eodem libello versus quosdam producit Merlini Caledonij à Theliesino vate, ut quidam volunt, edocti. Eosdem, versus, ut Theliesino vati inscriptos, citat etiam D. Ioannes Prifeus eques auratus, in Historia Britannica defensione, (pag. 137.) ubi etiam carmina, vetustissima lingua Britannica conscripta, habuisse se significat Taliessini & utriusque Merlini, Ambrosiani videlicet & Sylvestris: quorum hunc (inquit ille, pag. 10.) tempore Aurelij Ambrosij à quo & nomen sumpsisse videtur, illum verò Vortigerni, Taliessinum vero tempore Mailgonis regis floruisse constat.

PROFESSIONES ab Ostomannorum in Hiberniâ Episcopis, ordinationis suæ tempore, Cantuariensibus Archiepiscopis factæ.

PROFESSIO.

Anno Christi 1074.

I. PATRICII, Dublinensis Episcopi.

Quisquis aliis præsidet, si & ipse aliis subiaceat dedignari non debet: sed potius obedientiam quam à subjectis suis desiderat habere, propter Deum studeat prælatis sibi per omnia humiliter exhibere. Propterea ego Patricius, ad regendam Dublinam metropolem Hibernia electus antistes, tibi (reverende Pater Lanfrance, Britanniarum Primas & sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopo) professionis meæ chartam portigo: meque tibi tuisque successoribus in omnibus quæ ad Christianam religionem pertinent, obtemperatum esse promitto.

Anno Christi 1085.

2. DONATI, Dublinensis Episcopi.

Ego Donatus, Dublinensis Ecclesiæ antistes, quæ in Hiberniâ sita est; Canonicam obedientiam tibi promitto & successoribus tuis, ô Lanfrance, sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopo.

Anno Christi 1095.

3. SAMVELIS, Dublinensis Episcopi.

Ego Samuel, ad regimen Ecclesiæ Dublinensis quæ sita est in Hiberniâ electus, & à te (reverende Pater Anselme, sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopo, & totius Britannia Primas) antistes consecrandus; tibi & omnibus successoribus tuis Canonicam obedientiam me per omnia servaturum promitto.

4. MALCHI, *Episcopi VVaterfordie.*

Anno Christi 1096.

**E**Go *Malchus* Ecclesie *VVaterfordie* electus, & à te (reverende Pater *Anselme*, sancte *Cantuariensis* Ecclesie Archiepiscopo, & totius *Britannia* Primas) antistes consecrandus; tibi & omnibus successoribus tuis Canonicam obedientiam me per omnia servaturum promitto.

5. GREGORII, *Dublinensis Episcopi.*

Anno Christi 1122.

**E**Go *Gregorius*, ad regimen *Dublinensis* Ecclesie quae in *Hibernia* sita est electus, & à te (reverende Pater *Kadulphe*, sancte *Cantuariensis* Ecclesie Archiepiscopo, & totius *Britannia* Primas) antistes consecrandus; tibi & omnibus successoribus tuis Canonicam obedientiam me per omnia servaturum promitto.

6. PATRICII, *Limbricensis Episcopi.*

Circa Annum 1140.

**E**Go *Patricius*, ad regimen Ecclesie *Limbricensis* electus, & à te (reverende Pater *Theobalde*, sancte *Cantuariensis* Ecclesie Archiepiscopo, & totius *Britannia* Primas) per gratiam Dei antistes consecrandus; tibi, & omnibus successoribus tuis tibi canonicè succedentibus, debitam subjectionem & Canonicam obedientiam per omnia me exhibiturum fore promitto.

## RE C E N S I O.

*Livonia*, a *ad Eoum maris Baltici littus porrecta*, in tres partes locis, & linguis distinctas; Estiam, Lettiam & Curlandiam distribuitur. Estia sive (ut b *Crantzius* appellat) *Estonia* provinciam ij incoluisse videntur, qui à c veteribus Graecis *Ostia* & *Ostiones*; à *Tacito* in *Germania* sua *Aestij*, ab *Eginardo* in *Caroli Magni Vita Aisti*, à d *Saxone Grammatico* *Estones*, à nostris *Oltmanni* appellantur. Hos, ducibus tribus fratribus *Amelano*, *Sitaraco*, & *Yvoro*, de *Norwagia* & insularum *Boreali* partibus, quasi mercatura exercenda praetextu, in *Hiberniam* advenisse, & maritimos portus statim occupasse, scribit e *Giraldus Cambrensis*. Factum hoc sub initium saeculi post natum Christum d. cimi: circa quod tempus, Danos in insulam ingreffos cum *Hibernis* pugnasse, f *Caradocus Lhancarvanensis*, & *Haraldum Harfagir*, (sive, *Pulchricomum*) *Hiberniam* subjugasse, is refert, à quo *Griffithi filij Conani Principis Venedotia Vita* est conscripta. Ipse (inquit author ille) civitatem *Dubliniensem*, aliasque civitates, castella & munitiones aedificabat, ubi iam in huius regni possessione conquieverat: fratrumque alterum in unâ illarum quas condiderat urbium praefectum constituit, quae illorum usitato sermone vocatur *Porthlarg*; cuius posteritas in hodiernum diem eius urbis dominio potitur. *Giraldus* verò à tribus illis fratribus, *Ostannorum* ducibus, tres praecipuas civitates constructas fuisse narrat: è quibus *Dublinæ* principatus *Amelano* cesserit, *VVaterfordiæ* (qua *Hibernis* & *Cambriis* *Porthlargy* dicitur) *Sitaraco*, *Limirici* *Yvoro*. Atque ha civitates illa sunt, qua-

a *Vandalia* & *Saxonis* Alb. *Crantzij* *Continuator*. edit. *VVitteberg*. an. 1586. pag. 12.

b Alb. *Crantz*. *Suecia* lib. 1. cap. 41.

c *Pythæa* *Massiliensis*, apud *Strabonem*, lib. 1. & *Stephan*. *Byzant*. de urbibus, in *Asiavos*.

d *Saxo*. *hist*. *Danic*. lib. 6. fol. 55. edit. *Parif*. an. 1514.

e *Girald* *Topograph*. *Hibern*. *distin*. 3. cap. 43.

f *Carador*. *Chron*. *Can*. an. *Christ*. 905.

Vferij Epist. Hibern.

M

rum Episcopi à Lanfranco & ejus in sede Cantuariensi successoribus, id est, à Norman-  
nis suis potius quàm ab Hibernis (inter quos advena vixerunt) ordinationem accipe-  
re maluerunt. Nam, ut in Annalibus nostris ad annum 1095. notatum invenimus,  
Norvagenfes sive Ostmanni, qui civitates Hiberniæ & maritima occupaverant, Nor-  
manni vocati sunt. quod & medijs temporibus, omnibus Dania, Norvagia, Livonia  
& reliquarum Borealiùm gentium cõmune nomen fuisse dediti nõrunt. Ut emittam quod à  
scriptore Vita Griffithi filij Conani est traditum; uxum è tribus illis fratribus qui in Hi-  
berniam venerunt, cum Norvagiensibus suis in Galliam concessisse, & Francis devi-  
tis sedes in Normannia fixisse. Hunc Rodolphum ille vocat, quem alij Rollonem; à  
quo Guilielmus, & alij Normanni qui in Anglia regnaverunt, genus decunt suum.  
Professione ex Cantuariensis Ecclesiæ cõsco Manuscripto, qui nunc ad Cottonianam  
Bibliothecam est translatus, desumpsimus. De Episcopis verò singulis qui hac ediderunt,  
in Epistolarum Recensione aliquid est dictum: postremò tantum excepto, à Theobaldo  
ordinato, qui ab anno 1138. ad 1160. Cantuariensi sedi præfuit.

Anno Chri-  
sti 964.

ÆDGARI Regis Anglorum Charta  
de Osvaldes-lavv.

\* Βασιλεύς,  
rex.

**A**litionantis Dei largituâ clementiâ, qui est Rex regum & Domi-  
nus dominantium, Ego Ædgarus Anglorum \* Basileus, omnium-  
que regum insularum Oceani quæ Britanniam circumjacent, cuncta-  
rumque nationum quæ infra eam includuntur, Imperator & Domi-  
nus; gratias ago ipsi Deo omnipotenti, Regi meo, qui meum imperi-  
um sic ampliavit & exaltavit super regnum Patrum meorum. qui licet  
monarchiam totius Angliæ adepti sunt, à tempore Æthelstani, qui pri-  
mus regem Anglorum omnes nationes quæ Britanniam incolunt sibi ar-  
mis subegit; nullus tamen eorum ultra eius fines imperium suum dila-  
tare aggressus est. Mihi autem concessit propitia divinitas, cum An-  
glorum imperio, omnia regna insularum Oceani cum suis ferocissimis  
regibus, usque Norvegiam, maximamque partem Hiberniæ cum suâ no-  
bilissimâ civitate Dubliniâ, Anglorum regno subjugare: quos etiam  
omnes meis imperijs colla subdere, Dei favente gratiâ, coëgi.

Quapropter & ego Christi gloriam & laudem in regno meo exaltare, &  
eius servitium amplificare, devotus disposui: & per meos fideles fauto-  
res, Dunstanum videlicet Archiepiscopum, & Athelwoldum ac Osval-  
dum Episcopos (quos mihi Patres spirituales & Consiliatores elegi) ma-  
gnâ ex parte, secundum quod disposui, perfeci, &c. Et ipsis supradictis  
meis cooperantibus strenuè annitentibus, iam XLVII. monasteria cum  
Monachis & Sanctimonialibus constitui; & si Christus vitam mihi tam  
diu concesserit, usque ad quinquagesimum remissionis numerum meæ de-  
votæ Deo munificentia oblationem protendere decrevi. Unde nunc in  
præsenti Monasterium, quod prædictus reverendus Episcopus Osval-  
dus in sede Episcopali \* VVigorecastre, in honore Sanctæ Dei genitricis  
Mariæ amplificavit, & eliminatis Clericorum nanijs & spurcis lasciv-  
ijs, religiosi Dei servij Monachis, meo consensu & favore consultus,  
locavit; Ego ipsis Monasticæ Religionis viris Regali autoritate confir-

\* VVigor-  
nicnsi.

mo, & consilio & astipulatione Principum & Optimatum meorum corrobore & consigno. Ita ut iam amplius non sit fas neque ius Clericis reclamandi quicquam inde; quippe qui magis elegerunt, cum sui ordinis periculo & Ecclesiastici beneficij dispendio, suis uxoribus adhære, quàm Deo castè & canonicè servire. Et idèd cuncta quæ illi de Ecclesiâ possederant, cum ipsa Ecclesiâ, sive Ecclesiastica, sive secularia, tam mobilia quàm immobilia, ipsis Dei servis Monachis ab hâc die perpetualiter Regiæ munificentia iure deinceps possidenda trado & consigno, ita firmiter; ut nulli Principum, nec etiam ulli Episcopo succedenti, fas sit aut licitum quicquam inde subtrahere aut pervadere, aut ab eorum potestate surripere, & in Clericorum ius iterùm traducere, quamdiu fides Christiana in Angliâ perduraverit, &c.

Facta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Dccccxlv. Indictione VIII. regni verò *Ædgar* Anglorum Regis sexto, in regiâ urbe quæ ab incolis \* *gleavveastre* nominatur; in Natali Domini, festivitate Sanctorum Innocentium, feriâ quartâ.

\* Gloucestria.

† Ego *Eadgar* Basileus Anglorum & Imperator regum gentium, cum consensu & Principum & Archiepiscoporum meorum, hanc meam munificentiam signo Crucis corrobore.

† Ego *Aelfryth* Regina consensi, & signo Crucis confirmavi.

Ego *Dunstan*, Archiepiscopus Dorobernensis Ecclesiæ Christi, consensi & subscripsi.

Ego *Oscitel*, Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiæ, consensi & subscripsi.

Ego *Alferio* Dux. Ego *Bruthnod* Dux. Ego *Aridgari* Dux.

## RE C E N S I O.

Dum Epistolæ re legerem, decimo saculo (quod propter scriptorum inopiam appellavi consuevit \* Obscurum) nullam notatam deprehendi. Quis defectus ut aliquo modo suppleretur, *Ædgar* Regis diploma visum fuit adijcere; in quo, quod omnes historia tacent, maximam partem Hiberniæ, cum suâ nobilissimâ civitate Dubliniâ, Anglorum regno subjugatam à se fuisse confirmat. Habetur illud inter *VVigorniensis* Ecclesiæ monimenta: ejusque exemplum inter archiva Regiæ in arce Londinensi asservatur, hoc auctum proæmio. *Edvvardus* Dei gratiâ Rex Angliæ, &c. & Dominus Hiberniæ, omnibus ad quos presentes literæ pervenerint, Salutem. Inspecimus Chartam confirmationis Domini *Edgar* quondam regis Angliæ progenitoris nostri, quam fecit *Osvaldo* Episcopo *VVigornien*si & Monachis *VVigornien*sibus, in hæc verba. In libro *VVigorniensis* Ecclesiæ, quo de loci illius fundatoribus agitur, ille quem dedimus titulus est prenotatus. Charta Regis *Eadgar* de *Osvwaldes-lavv* quia mediante (ut ibi dicitur) *B. Osvaldo*, à Clericis in Monachos translata est sedes Pontificalis honoris. Antea enim, ut in ejusdem *Osvwaldi* Vita scribit *Andreas Lencander* sive *VVhitamannus Ramefien*sis canobij abbas, non monastici viri ipsius sanctæ institutionis regulæ erant in regione Anglorum, sed erant religiosi & dignissimi clerici: qui tamen thesauros suos, quos avidis acquirebant cordibus, non ad Ecclesiæ honorem, sed suis dare solebant uxori, bus. Posteaque, ut addit idem, *Ædgar* regis obitu turbatus est status totius regni: commoti sunt Episcopi, irati sunt Principes, timore concussi sunt Monachi, pavescit populi, Clerici læti effecti sunt; quoniam tempus eorum advenit. Expelluntur Abbates cum monachis suis, introducuntur Clerici cum uxoribus suis: & erat error pe-

\* Baron. in tomi 10. Annalium initio.

ior priore. Sic ille Priorem verò statum sic plenius enarrat Cantuariensis Osbernus Nondum in Anglia communis vitæ ratio colebatur; non usus deserendi proprias voluntates hominibus affectabatur. Abbatis nomen vix quisquam audierat; Conventus monachorum non satis quisquam viderat. Sed cui fortè id voluntatis erat, ut peregrinam vellet transigere vitam, is modò solus, modò paucis eiusdem propositi comitatus, patrios egrediebatur fines; & quâ opportunitas vivendi licentiam dabat, illic alienigena vitam agebat. Hicque mos cum plerosque tum vehementer adhuc manet Hibernos; quia quod aliis bona voluntas in consuetudinem, hoc illis consuetudo veritè in naturam. Quorum multi atque illustres viri, divinis ac secularibus literis nobiliter eruditi, dum relicta Hiberniâ in terrâ Anglorum peregrinaturi venissent, locum habitationis suæ Glestoniam delegerunt, propterea quòd esset à civili multitudine sequestratus, & humanis usibus accommodus, & (quod maximè affectabant peregrini) Patrij religiosâ veneratione gloriosus: qui olim evangelizando regnum ei illuc perveniens, vitâ, doctrinâ, signis mirabilibus multipliciter claruisse, & post omnia hæc ibidem in Domino quievit perhibetur. Cum ergo hi tales viri talibus de causis Glestoniam venissent, nec tamen quicquid sibi necessarium erat sufficientissimè in loco repperissent: suscipiunt filios nobilium liberalibus studiis imbuendos; ut quod minus ad usum loci ubertas exhiberet, eorum quos docebant liberalitate redundaret. *Hæc in Vitâ Dunstani Osbernus: qua, quia ad revum Hibernicarum illustrationem aliquid etiam conferebant; hoc in loco omittere non libuit.*

F I N I S.







57.037.490



